



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Disputatio V. De bello, rixa, & duello, quatenus charitati contraria sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

9 Schismatici, qui haeretici non sunt, absolvi possunt semel in vita, & semel in morte virtute. Cruciatu: & similiter absolvi possunt virtute Iubilati, vel privilegij casus coenae concedentis, quia sola haeresis ob eius gravitatem referatur. sic Sanchez lib. 2. cap. 16. num. 17.

10 Tertia poena schismaticorum est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in posterum habenda: constat ex text. in cap. quia diligentia, de electione, vbi schismatico in Episcopum electo dispensationem, confirmare permittitur. Non igitur valida erit electio ante dispensationem: & ita tradit glossa ibi, & omnes.

11 Dubium est, an poenitentibus schismaticis, & Ecclesia reconciliatis tollatur haec inhabilitas. Affirmare videtur Decianus tract. crim. lib. 5. cap. 54. num. 15. & 16. Conrad. Brunus tract. de haeretico. lib. 3. cap. 7. Butlatus conf. 14. numer. 34. Quintil. Mandol. in addit. ad Repert. inquisitor. verbo abjuratio, littera A. vers. pulchra etiam. Farinacius plures referens, qu. 139. & qu. 193. num. 66. Ratio est, quia haec inhabilitas procedit ex schismate. Ergo illo sublato cessat. Neque obstat videtur text. in dict. cap. quia diligentia, quia electio illius schismatici in Episcopum, forte fuit durante schismate, ideoque indigni confirmatione, & dispensatione, quibus tamen non indigeret, si sublato schismate, & Ecclesia reconciliato, electio facta esset. Neque etiam obstat text. c. unico, de schismaticis in 6. vbi schismatici, & eorum fautores perpetuo inhabiles ad beneficia declarantur, quia loquitur text. de casu specialia, in quo duo Cardinales noluerunt Pontificem canonice electum condescere, & alium in Pontificem elegerunt.

12 Nihilominus probabilis, & securius censeo, schismaticum Ecclesiae reconciliatum adhuc inhabilem esse ad beneficia Ecclesiastica, nisi per Pontificem, aut vices ipsius habentem, fuerit dispensatus: sic docet Azor. 1. part. lib. 8. cap. 20. quast. 8. & testatur esse communi sensu receptam. Sanchez lib. 2. cap. 36. n. 18. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charit. part. ult. §. 5. num. 10. Pegna direct. 2. part. quast. 48. comment. 73. in medio. Suarez de censuris, disputatio. 43. sect. 2. num. 7. Farinacius pluribus relatis, quast. 184. num. 36. Moueor ex supradicto cap. quia diligentia, vbi glossa expressè dicit abjuratio schismatici, in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indigni dispensatione, ergo signum est inhabilem emanasse.

13 Dixi huius inhabilitatis neminem à Pontifice, aut vices ipsius habentem dispensare posse, quia eius est solvere, cuius fuit ligare. Habet tamen Episcopus ex decreto Tridentini, sess. 24. c. 6. concedente casus occultos, potestatem ad dispensandum, in quacumque inhabilitate ad beneficia ex delicto occulto proveniente. Quare si delictum schismatici occultum sit, poterit ab Episcopo schismaticus ad vnitatem Ecclesiae rediens habilis reddi, sic Sanchez, & Bonacina supra. Si tamen schisma publicum sit, non desunt Doctores, qui affirmant posse Episcopum dispensare ad beneficia omnia praeter episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter ordinem à schismaticis non receperint: sic tradit Abbas in cap. 2. de schismat. num. 7. Decius cap. ut si clerici, §. de adulteris, de iudicis num. 124. & in cap. quia diligentia, de electione num. 17. vbi indistinctè tenet sufficere dispensationem Episcopi, consentit Lambertinus 1. part. 2. lib. quast. 9. art. 8. & vt probabile reputat glossa cap. 5. de schismaticis. Sed huius potestatis nullum apparet in iure firmum fundamentum, ac proinde dicendum est non posse ab alio, quam à Pontifice dispensare: & tradit ultra Sanchez, & Bonacina locis citatis. Garcia 1. parte de beneficiis, cap. 10. num. 164. glossa cap. 2. de schismaticis, in fine. Farinacius quast. 184. num. 36.

14 Adde esse probabile hunc occultum schismaticum, & Ecclesiae reconciliatum dispensatione non indigere, quia poena inhabilitatis non cuiuslibet schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto: qualis erat ille Episcopus relatus in capit. quia diligentia; quare occultus, & maximè emendatus, & conuersus hanc poenam nullo modo contrahit, vt multis probat etiam de haeretico, Garcia 11. part. de benefic. cap. 10. n. 83. & specialiter de schismatico, num. 162.

15 De beneficiis ante schisma obtentis reputat Rebuffus in praxi beneficiar. titul. de modis amittendi beneficia, & Flamin. Parisius lib. 3. de resignat. qu. 1. num. 36. Farinacius quast. 184. num. 42. priuatum manere schismaticum, ex cap. nos consuetudinem 12. dist. & quia diligentia de electione, & praecipue ex cap. unico, de schismat. in 6. ibi, omnibus beneficiis perpetuo priuantes, & inhabiles reddentes ad habenda. At dicendum est, si schisma haeresi coniunctum non sit, hanc priuationem non inducere, quia supradicti text. quia diligentia & cap. nos consuetudinem non loquuntur de beneficiis antea obtentis, & cap. nos consuetudinem loquitur de haeretico cap. unicuq. de schismat. loquitur in casu speciali, quo postposita electione canonica alicuius Pontificis alius eligitur, & ita schismaticum, non haeticum, priuatum non esse beneficiis antea obtentis, docet Garcia 11. part. de benefic. cap. 10. n. 151. Sanchez, lib. 2. cap. 36. n. 19. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charitate, part. ult. §. 5. num. 10.

16 Quarta poena, quae secundum plures Doctores schismaticis imponitur, est irregularitas: sic ex plurim sententia defendit Azor. lib. 8. in fine, cap. 20. quast. 8. Pegna 2. part. direct. qu. 84. cum. 78. At vt rectè expendit Sanchez nullus est text. ex quo haec

irregularitas clarè colligatur, & cum irregularitas non incuratur, nisi in casibus à iure expressis, efficitur tanè schismaticis irregulares non esse. Sic Sanchez lib. 2. c. 36. n. 10. fine, Suarez de cens. disp. 43. sect. 2. n. 7. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charitate, part. ult. §. 5. n. 12.

Aduerit tamen & bene, Sanchez, & Bonacina, supra, si schisma notorium fit, illo durante schismaticum irregulare esse irregularitate generali proveniente ex crimine notorio depositione digno, haec tamen irregularitas per poenitentiam aboletur.

17 Quinta poena est suspensio ordinis à schismaticis scienter recepti, ex cap. 1. & 2. de schismaticis, & cap. ordinationes, 9. qu. 1. sic Suar. disp. 23. de cens. sect. 3. num. 4. Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 20. Bonacina disp. 3. quast. 4. part. ult. §. 5. num. 13. Farinacius quast. 181. num. 43. & 44.

18 Sexta poena est, vt collatio beneficiorum ab eis facta irretur, cap. 1. de schismat. ibi, careant impertratis, sic Suar. Sanchez, Bonac. & Farinac. supra. Aduerte pro his duabus poenis debere schismaticos notorios esse secundum factis probabilem sententiam declaratos. Azor. supra, quast. 11. Bonacina n. 13. Nam in cap. ordinationes, 9. quast. 1. in princ. sic cauetur. Tum quia videtur, si deles post concilium Constantiense obligati non esse vitare illos, quouique denunciati sint. Denique non carent potestate iurisdictionis, vt diximus in prima poena, quousque eorum crimine declaratum sit. Adde has poenas solum videri impositas recipientibus scienter ordinem, seu beneficia à schismaticis haeticis, vt satis colligitur ex cap. 1. de schismaticis, cap. ordinationes, 9. quast. 11. Nam in iure haeticus, & schismaticus aequiparantur, ex cap. firmissime, de haeticis, & multis exorat Farinacius quast. 184. numero 55.

19 Septima poena est suspicio haeresis, & meo iudicio vehemens: nam licet aliquando contingat dari schisma absque intellectus errore, vt dictum est, raro tamen contingit, ac proinde omnium schismaticorum non solum abjurare tenetur schisma, sed etiam haeresis suspicionem, vt bene notat Pegna 2. part. direct. quast. 48. com. 73. Vgolin. tract. de cens. Pontifici reseruat. 2. part. in glossa, nec non schismaticos. Farinacius quastion. 184. num. 35. & latius vt Menochius de praesumptione, lib. 5. praesumpti. 6. numero. 24. vbi dicit schismaticos, vel schismaticorum sequaces esse vehementer de haeresi suspectos.

20 Octaua poena schismaticorum est, esse subiectos iudici Ecclesiastico, vt pro qualitate criminis eos puniat, tum poena pecuniaria, tum exilio, tum carcere, tum tiremibus, imò & relaxatione brachio saeculari, si peritiae existant. sic Bernard. Dia. in pract. cap. 112. num. 1. & seq. Farinac. quast. 184. num. 51. Valenti. disp. 3. quast. 15. part. 3. vers. quid erum est, & colligitur ex cap. de liguribus, 23. qu. 5. cap. non vos, 33. qu. 5. cap. in unione domini, 33. dist. 17.



DISPUTATIO V.

De bello, rixa, & duello, quatenus Charitati contraria sunt.

DISPVTATIO de bello, rixa, & duello potius ad virtutem iustitiae, quam charitatis videbatur pertinere, sed quia D. Thomas 2. 2. quast. 40. & eius interpretes communiter agentes de charitate, de his tractant, vixit contra rixam, quae est charitatis effectus, ideo moueor de illis in praesenti habere sermonem.

PUNCTVM I.

Quid sit bellum, & an licitum sit.

- 1 Vnde dicitur bellum, & quae ratione definitur.
- 2 Bellum aliud est offensiuum, aliud defensiuum.
- 3 De fide est licitum esse bellum, si conditiones debite seruantur.
- 4 Aliquantum est in praecipuo.
- 5 Proponuntur quadam haeticorum argumenta.
- 6 Fit illis satis.
- 7 Tres conditiones sunt ad iustum bellum requisitae, & quae haec sunt.

Bellum dicitur, vt Priscian. sentit per antiphrasim, quasi nihil bellum, & pulchri habeat per se. Non enim bellum per se est appetibile; imò potius quantum fieri possit vitandum, ob grauissimam mala, quae secum trahit: caedunt enim multi, & saepe innocentes, vrbes diripiuntur, diuina dilapidantur, & regna poeunt, non igitur appeti debet per se sed eo modo, quo medicina appetitur. Alij è contra à bello, & cono deducunt, quia ex fine bono, & pulchro fit, qualis est propulsa iniuria, pacem obtinere. Alij vt Festus, à bellis deriuant, quia belluarum est mutuo se laniatu cõficere, sed vadeunque bellum dicatur, cõmunitur à DD. definitur

definitur, ut sit discordia hostium arma sibi mutuo inferentium, cui opponitur pax, vel est conflictus ipse, & hostium congressio, quæ & pugna dicitur. Debet tamen veritari inter duos Principes, & suam reipublicam, vel inter ciuites, & reipublicam habere, est seditio. Si autem inter priuatas personas, rixæ vocatur, vel duellum.

2. Duplex autem est bellum, iuxta duplicem causam, ob quam sumi potest, aliud est defensiuum, aliud offensiuum est, defensiuum est cum in defensionem vitæ, honoris, & fortunæ assumitur, ut si quis re vellet vitæ, vel honore priuare, vel à possessione diuitiarum deicere. Tu verò vt impedias iniuriam, arma assumis, bellum geris defensiuum. Offensiuum, seu aggressiuum est, cum in satisfactionem iniuriæ iam factæ, & ad illam vindicandam fit. Vocari etiam potest huiusmodi bellum aliquo modo defensiuum, quatenus vindicatione iniuriæ factæ defenduntur iniuriati, ne simili iniuria iterum afficiantur. Negari enim non potest vindicatione iniuriæ factæ contineri iniurias, & alios à simili iniuria committenda.

3. Dicendum ergo est de fide, licitum esse bellum cuiuslibet reipublicæ etiam Christianæ, si conditiones feruerunt, quas in sequentibus opponemus. Conclusionem multis locis sacra Scriptura tam veteris, quam noui Testamenti aduersus hæreticos, exornant Doctores in præsentis, specialiter Valent. 2. 2. dist. 3. quæst. 16. part. 1. Suarez dist. 13. de charit. sect. 1. Egid. de conch. dist. 11. ad. 1. Mol. de iustit. tract. 2. dist. 99. Ex veteri namque Testamento constat bella esse licita, siquidem illa gerentes reputati sunt viri sanctissimi, vt Abraham, qui Deo proterente hostes Gen. 14. Moyses, Iosue, Dauid, Samion, Gedeon, Machabæi, & alij, qui etiam iussu Domini bella gesserunt. Et in nouo Testamento, Lucæ 11. militibus rogantibus, quid sibi faciendum esset, vt diuinum iudicium, & condemnationem vitarent, non illis fuit mandatum arma deponere; imò potius illis dictum fuit, vt suis stipendiis contenti essent. Ex quo manifestè inferretur licitè in bello perseverare, alias stipendia accipere non possent. Item Matth. 8. laudat Christus fidem Centurionis, & Act. 10. Cornelium Centurio erat vir religiosus, ac timens Deum, & absque depositione militiæ baptizatus est, ac ceptique Spiritum sanctum. Ergo militia licita est. Nam vt dicit D. August. epist. 5. ad Marcellin. Si Christianis bella prohiberentur, primum concilium accipientibus fidem esse debebat, vt arma deponerent, & à militia se laborarent. Alia induci possent ex Paulo ad Rom. 13. c. 1. Petr. 2. vbi magistratus, & duces, ministri Dei, & à Deo missi in vindictam malefactorum vocantur. Plura item in confirmationem huius veritatis adducit Gratian. ex Patribus, præcipue August. 23. quæst. 1. c. 2. Et quidem de bello defensiuo euidenter probatur. Nam cuiuslibet iure naturali permittitur esse ab iniuria defendere & iniuriam factam amouere, agereque pro illius recompenatione, dum illam iniuriator tenetur præstare, quia dum non præstat, iniuriam factam continuat. Sed hæc omnia sæpe fieri non possunt absque bello, cum pars offendens superiorem non habet. Ergo bellum licitum est ad huiusmodi finem consequendum. Eadem ratione de bello aggressiuo probari potest: cuiuslibet enim reipublicæ concessum est, vt se in eolumen feruet, & iniurias faciendas propulset, iniuriatorisque si ariet, & contineat. At ad huiusmodi finem consequendum sæpe necessarium est iniurias acceptas vindicare, & punire. Nam si semel illata iniuria scirent malefactores nullam sibi punitionem esse inferendam, audaciores redderentur, & viam haberent apertam multiplicandi crimina, & nouas iniurias probis viris inferendi, nullaque reipublica tuta esse posset.

Ex qua ratione non solum constat licitum esse posse bellum, sed etiam aliquando esse in præcepto; quia ex præcepto charitatis, & iustitiæ tenentur gubernatores ciuitatis bono ipsius prospicere, ad cuius finem sæpe necessarium erit bella mouere & iniurias vindicare. Sic Suarez dist. 13. de charitat. sect. 2. numer. 4. & Molina tract. 2. de iustit. dist. 99. vers. statuenda nihilominus, & vers. ad testamenta.

Restat satis facere friuolis quibusdam argumentis hæreticorum, & præcipue Lutheri intendentis bella esse Christianis interdita. Primum desumitur ex variis locis scripturæ. Nam Isaia secundo, de tempore legis gratiæ dicitur, *construunt gladios suos in cumeros, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur ultra ad prælium, & Michæ 4. Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent belligare, & stabit vix subitus vineæ suæ, &c. & Matth. 5. Tubum non refertate malo, sed si quis nos percussit in vna maxilla, præbeamus illi alteram: & Matth. 26. dicitur Petro vt conuertat gladium in locum suum, quia omnes qui acceperint gladium gladio peribunt, & ad Rom. 12. nulli malum pro malo reddentes. Et infra Non vos defendentes charissimi, sed date locum ira. Scripsit enim: *Mihi vim dicitam, & ego retribuam.* Corinth. 12. & ad Ephes. 6. *Arma militia Christianæ non carnalia, sed spiritualia sunt.* Ergo ex iis omnibus inferunt bellum procul à Christianis esse debere. Secundum argumentum desumitur ex variis testimoniis Patrum, quorum aliqua referunt à Gratiano de consecratione, dist. 5. Specialiter capite, si qui verò, & capite, contrarium, capite, falsus. In quibus redeuntes in militiam, postquam se Deo manciparunt, condemnantur.*

Ferd. de Castro sum. Mor. Part. 1.

Tertio, Bellum causa est multorum innocentium cædis, direptionis reipublicæ, deaustationis regni, imò plurimorum peccatorum quibus milites solent esse inuoluti. Ergo est illicitum. Quarto, est contrarium paci, quæ est charitas affectus. Ergo est per se malum. Quinto, videtur contrarium præcepto diligendi inimicos. Sexto, videtur contra diuinam voluntatem intendentem peccata Christianorum bellis, & calamitatibus punire, si vi, & armis propullare conatur.

Sed hæc facile diluuntur. Ad primum dici posset omnia illa loca scripturæ solum probare arma regulariter assumenda non esse, sed solum necessitate urgente, & quando aliter fieri non potest. Ad loca Isaia, & Michæ respondeo, prædici ibi tempore Christi esse summam pacem, sicuti fuit eo nascente, non tamen prædictum est successu temporis bella non esse assumenda. Ad locum Matth. 5. respondeo esse consilium percutienti vnam maxillam, præbere illi alteram, & hoc non semper. Aliàs iniquè fecisset Paulus. Act. 23. qui percussus in facie ob mandatum Principis sacerdotum, non præbuit alteram maxillam, sed potius dixit, *Percutiat se Detus paries dealbate,* Christus Dominus seruo Principis sacerdotis percutienti non obrulit aliam maxillam, imò potius increpauit, dicens, *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene cur me cadis?* Ergo ex illo loco non inferitur esse semper consilium se offerre pot vnam receptam iniuriam alteri simili. Solum enim Christus Dominus persuadere nos voluit, vt recipientes iniuriam parati simus aliam grauiorem, si inferatur, patienter sustinere, non autem voluit, vt semper permittamus inferri, vt rectè D. Augustin. epist. 5. ad Marcellin. arguit. Ad locum Matth. 26. reprehensus est Petrus, tum quia contra Dei voluntatem procedebat, scire enim debebat se voluntati mortis offerre; tum inutilis eius defensio contra tot milites sic armatos, potius enim ex illa irritandi essent in Christum quam cohercendi. Cum verò subiungitur *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt,* intelligitur de recipientibus in vindictam propriam, & propria auctoritate, vel ad defensionem innocenti omnino inutilem. Eadem solutio adhibenda est verbis Pauli ad Rom. 12. cum autem dicit ad Corinth. & ad Ephes. arma militiae nostræ esse spiritualia, & non carnalia, intendit docere Christi regnum non temporale, sed spirituale, & non armis, & bellis augendum esse, sed prædicatione, miraculis, & vitæ exemplo. Item in loco ad Corinth. loquitur de armis, quibus Ecclesiæ principes videntur aduersus subditos rebelles, quæ sunt censure Ecclesiasticæ, aliæque spirituales pœnæ. In loco autem ad Ephes. agit de armis, quibus diabolo resistendum est, quæ sunt orationes, pœnitentiæ, & similes.

Ad secundum, respondeo aliquibus illicitum esse bellum ob circumstantiam, qualiter antiquo tempore illicitum erat eis, qui ex præcepto Ecclesiæ publicam agebant penitentiam, non enim licitum illis erat ea penitentia non peracta ad bellum proficisci, nisi necessitas urgeret, & tunc ex concilio Episcopi, vt dicitur in cap. falsus, & consecrat. dist. 5. Aliis illicitum erat bellum ob professionem vitæ religiosæ, quam deserere, & militiae seculari se addicere non conueniebat. Aliis verò erat illicitum, quia redeuntes ad militiam proficiebantur fidem deserere, & iussa Imperatorum religionem Christianam persequendum exequi velle; vt colligitur satis ex illo capite, si qui verò, qui est. 11. Concilij Nicani.

Ad Tertium, dico probare bellum per se non esse appetendum sed solum esse appetendum, quando non est aliud remedium, vt bene dixit August. epist. 207. ad Bonifacium Comitem. Pacem (inquit) habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace. Mala verò quæ ex bello iusto inferuntur, per accidens sunt, & maiora essent, si bellum non moueretur, vt bene expendit August. in capite, quid culpatur. 23. quæst. 1.

Ad Quartum, nego bellum iustum esse contrarium paci, imò potius pacem obtinere, vt dixit Philosoph. lib. 7. polit. c. 14. c. 15. & August. epist. 207. ad Bonif. Dicitur autem contrarium paci, tum quia multipliciter iniustum esse solet, tum quia materialiter, & secundum rem procedit ex dilensione voluntatis vnius ad alterum.

Ad Quintum, nego esse contrarium præcepto dilectionis inimicorum, aliàs iudex non posset malefactores punire. Præceptum enim dilectionis solum obligat, ne reus malum inferre inimicis, quatenus malum est: at inferre illis malum, quia illis, & reipublicæ bonum est, non est contra debitam illorum dilectionem. Est enim bonum illis, vt ab iniuria desistant, timeantque similem committere. Est etiam bonum reipublicæ, quæ hac ratione se in pace conseruat.

Ad Sextum, nego esse contra diuinam voluntatem testere iniuriis, & calamitatibus, quæ iniusto bello nobis inferuntur, quia Deus solum permittit ea inferre, si nos non cauerimus; non autem præcipit, & à fortiori non prohibet, ne ea impediamus. Aliàs non liceret remedia illa adhibere, vt pestis, inopia, falsaque testimonia vitarentur.

7 Dixi bellum esse iustum, & licitum, seruatis tamen aliquibus conditionibus; Tres enumerantur à Doctores, Prima legitima auctoritas, Secunda, iusta causa, & titulus bellandi. Tertia, debitus modus in illius prosecutione. Sic D. August. lib. 22. contra Faust. tom. 6. 74. & 75. Suarez dist. 13. de charit. sect. 1. in fin. Valen. 2. 2. Faust. tom. 6. 74. & 75. Suarez dist. 13. de charit. sect. 1. in fin. Valen. 2. 2. Q 3 dist.

disp. 3. quest. 16. part. 2. in princ. Coninch. disp. 31. dub. 1. in fine. Bonacina disp. 2. de restit. qu. ult. part. ult. §. 2. & alij. Addunt verò aliqui quartam conditionem, vt ex debito fine fiat, ex cap. quid culpatur 23. quest. 1. qui si de fine extrinseco operantis loquuntur, necessaria specialiter non est; cum ex tali fine non reddatur bellum iniustum. Neque iudex qui animo vindictæ punit iuxta iuris regulas delinquentem, iniustitiam committeret, esto contra charitatem faciat, & peccet, ille ergo finis ad honestatem actionis operantis, non ad iustitiam belli expostulatur. Coninch. supra. Valentia disp. 3. quest. 16. part. 2. circa finem vers. decimo certum est. Si autem de fine intrinseco ipsius belli loquuntur, ad secundam conditionem reducitur, quia idem est finis, ac causa, titulusque bellandi. De his ergo conditionibus in sequentibus est agendum.

PUNCTUM II.

Quæ autoritas ad bellum requisita sit.

- 1 Quilibet habet auctoritatem bellum pure defensuum inducendi.
- 2 Bellum aggressuum solus Princeps, vel respublica superiorem non recognoscens inducere potest.
- 3 Aliqua ex superiori doctrina notabilia inferuntur.
- 4 Consuetudine introduci potest, vt respublica inconsulto suo Principe bellum moueat. Et qua ratione hoc verum sit.
- 5 Quid dicendum in casu quo superior vindicare noluerit iniuriam respublice sibi subdita.
- 6 Pontifex habet ius indicendi bellum, quando bonum Ecclesie id postulat.

1 Si de bello pure defensiuo loquamur, constat apud omnes in quolibet residere auctoritatem illud indicendi. Quia cuiuslibet à natura concessum est ius se defendendi, & iniurias propulsandi. Sic DD. statim referendi. Quapropter de bello aggressiuo est difficultas, penes quem hæc potestas resideat?

2 Regula est ab omnibus recepta residere solum in Principe, vel republica in causis ciuilibus, & criminibus superiorem non recognoscens, sic D. Thomas 2. 2. quest. 40. art. 1. & ibi Caietanus, Aragonius, Bannes, & alij. Valentia disput. 3. qu. 16. part. 2. vers. itaque secundo. Suarez disp. 13. de charitate sect. 2. art. num. 1. Regidius de Coninch. disp. 32. dub. 3. num. 53. Couarruias reg. peccatum. part. 2. §. 9. num. 1. Bonacina disp. 2. de restit. quest. ult. part. ult. paragrapho 2. numer. 4. Molina tractat. 2. disputat. 100. & alij apud ipsos, & deciditur ab Augusto cap. quid culpatur, 23. q. 1.

Ratio est, quia in qualibet republica respublice potestas puniendi delicta suorum ciuium, vt hac ratione in pace conferuntur, & malefactores continentur, ergo in illa residere debet potestas vindicandi iniurias, puniendique malefactores alterius respublice non habentis superiorem, & illos coercendi. Nam hæc potestas penes aliquem residere debet, cum necessaria omnino sit, vt in pace conferatur. At residere non potest talis potestas in republica iniuriante, quia ipsa sui ipsius vindex esse non potest. Restat ergo vt in republica iniuriata resideat, cui ratione iniuria acceptæ subditur respublica iniuriata.

3 Ex qua ratione manifestè constat, si aliqua ciuitas Principi, vel republica suprema subiecta, iniuriam intulerit alteri supremo Principi, vel republice, non posse hunc aduersus ciuitatem illam mouere bellum, quin prius apud eius superiorem ius expostulet. Quia penes illum residet potestas vindicandi criminum, quæ à subditis committuntur. Quod si respublica, vel superior ille Princeps vindicare noluerit, poterit tunc respublica dæmnum passa non solum aduersus ciuitatem iniuriantem, sed aduersus rempublicam, & superiorem nolentem sibi ius dicere, bellum mouere, vt bene tradit Augustinus relatus in c. Dominus 23. quest. 1. Mol. tract. 2. de iustitia, disput. 100. vers. illud tamen. Coninch. dub. 3. numer. 58. Secundo, constat rempublicam, vel Principem subditum iniuriam ab alio Principe, vel republica suprema non posse propria auctoritate bellum mouere aduersus illum, sed necessarîo requirere debet sibi superiorem, qui partes ipsius assumat, & satisfactionem exigat, sic omnes Doctores in principio relati. Ratio est manifesta, quia ideo respublica perfecta, quæ est illa, in qua omnes caute terminantur, potestatem habet vindicandi proprias iniurias, quia non habet superiorem, qui illam defendat, & cuius auctoritate id faciat. Ergo respublica imperfecta, quæ superiorem habet obligatum illam defendere, non poterit propria auctoritate bellum mouere. Vt patet enim ius sui superioris, & rempublicam perturbaret.

4 Duplicem limitationem huic secunde illationi adhibent Doctores: prima vt intelligatur, nisi aliter consuetudine præscriptum sit. Pote enim consuetudine præscribi, vt vna ciuitas inconsulto suo Principe bellum moueat aduersus sui offensores, probatur ex eo, quia ratione consuetudinis censetur ex voluntate sui Principis mouere: sic Caietanus 2. 2. quest. 40. art. 1. Lorca ibi. disput. 30. num. 12. Coninchus disput. 31. dub. 3. fine. num. 64. Victor. in relect. de iure belli. 119. Molina tract. 2. disput. 100. vers.

victoria in relect. Et placet mihi duplici sub limitatione appostri prima, vt consuetudo legitime introducta sit. Nam si eius introductioni Princeps repugnauit, potius seditio, & rebellio, quam consuetudo legitima dicenda est: ac proinde nullum ius tribuere potest, sic Caietanus, & Mol. supra. Secunda, vt intelligatur de auctoritate mouendi bellum aduersus non subditos ipsi Regi. Nam si tam pugnantem, quam oppugnatum eidem superiori ipsi Regi, clî sunt, contra rationem naturalem videtur esse consuetudo proprias iniurias vindicandi, cum auctoritate superioris vindicari possent. Neque Princeps est censendus vquam concessisse, sed potius omnino repugnasse, cum tale bellum, cum sit bellum ciuile, & inter partes eiusdem republice perfecta, in eius perniciem, & perturbationem totius regni cedit: sic Suarez disp. 18. de charitate. sect. 2. num. 2.

5 Secundam limitationem, quam ex Victor. supra. aliqui addunt, est, vt procedat extra casum necessitatis. Nam si superior vindicare noluerit iniuriam factam respublice sibi subdita, poterit tunc illa respublica aduersus offensores bellum mouere, ne iniuria facta maneat. Carcetim hæc limitatio absolute probanda non est, præcipue inter subditos eiusdem Principis ob grauissima mala quæ inde oriri possunt, alias cuiuslibet particulari, præcipue patrifamilias licebit se vindicare, si eius Princeps noluerit ius sibi dicere, quod est absurdum. Quocirca solum in casu, in quo bellum repararetur omnino necessarium ad coercendos malefactores, ne nouam iniuriam inferant, poterit illa inferior respublica bellum mouere, quia tunc non in vindictam, & punishmentem iniurie illatæ assumitur, sed in defensionem, quod à iure naturali concessum est. sic Molin. dicta disp. 100. vers. Idem Victor. inquit enim) quando ita necesse esset, vt ab iniuriis inferendis se continerent. Coninch. dub. illo 3. n. 61. Suarez sect. 2. n. 2.

6 Aduerso tamen Pontificem non solum habere ius indicendi bellum, sicut quilibet alius princeps supremus, sed etiam quædam bonum totius Ecclesie id necessarîo expostulat, habet potestatem prohibendi Christianis Principibus, ne bellum gerant, cui præcepto ipsi obedire tenentur. Quod si rebelles sint, & bellum moueant, peccabunt non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, quia ius bellandi illis ob bonum publicum ablatum est. sic Suar. disp. 18. de charit. sect. 2. in fine.

PUNCTUM III.

Quæ sit causa iusta, iustusque titulus bellandi.

- 1 Triplex est causa iusta, iustusque titulus belli.
- 2 Iniuria qua bellum honestare potest, debet esse grauissima.
- 3 Enumerantur aliquot iniuria bellum honestantes.
- 4 Quid de impediendis mercaturam, venationem, piscationem in suo regno. Affirmatur non esse causam iustam belli, nisi ibi debitum sit.
- 5 Ob solum iniuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam bellum moueri potest.
- 6 Aduersus occidentes innocentes, & impediendes Evangelij prædicationem bellum moueri potest.
- 7 Ob idololatriam, infidelitatem, & alia peccata contra naturam impedienda, bellum moueri potest.
- 8 Quomodo tibi debet consistere de iusta causa bellandi, respondetur remissive. Requiritur tamen, vt claris probationibus possidentem conuincere possis ad te regnum pertinere.
- 9 An ex utraque parte possit dari iustus titulus bellandi? Proprietur ratio dubitanti.
- 10 Resoluitur per se, & secta ignorantia dari non posse.
- 11 Satisfit rationibus contrariis n. 9. adductis.
- 12 Ad honestandum bellum iniuria materialis sufficit.
- 13 An oblata ab aduersario satisfactione sufficiens, debent ab illo desistere. Distinguit Caietanus de satisfactione ante bellum inceptum, vel post.
- 14 Non approbatur eius distinctio sed quocunque tempore offeratur satisfactio plena, debet ab illo desistere.
- 15 Sed quid dicendum, quando pars rebellis digna est morte ob iniuriam illatam? Probabilis est non esse obligationem acceptandi satisfactionem aliam.
- 16 Hoc verum est spectato iustitia rigore, at ex charitate sapè erit obligatio.
- 17 Stante iusta causa bellandi, potest bellum iniuste fieri, si adsit minima spes victoria, & parum utilitatis ex bello speretur.
- 18 Si damna, quæ ex bello sequuntur, praualeant utilitati quæ ex victoria speratur, illicitum est bellum. Item si religio Christiana minuenda est, & heretici potentiores futuri.

1 Causa iusta, iustusque titulus bellandi triplex est. Iniuriam imminuentem impedire, illatam retare, & illam vindicare. sic D. Augustinus relatus in capite Dominus 23. questione prima. & ex illo D. Thomas ab omnibus receptus, secunda secunda, questione 40. articulo primo. Titulus primus & secundus belli est clarissimus. Nam quilibet respublica ius habet se defendendi, in qua defensione continetur iniuriam imminuentem impedire, & sibi factam reparare; nam dum iniuriata

In iurians non repara in iuriam, continuat. Potest ergo respubli- ca titulo defensionis propriae hanc reparationem procurare bello, si ad id necessarium est; quia procurans hanc reparationem, a continuatione iniuriae se defendit. Titulus autem tertius etiam est sufficiens, ut probavi in puncto precedenti, cum in nullo alio, nisi in republica offensa possit resistere potestas vindicandi iniurias factas ab alia republica superiore non habente. Neque obstat eandem rempublicam, vel supremum Principem esse iudicem simul & vindicem propriae iniuriae, quod videtur inconueniens ob probabile periculum excessus. Non inquam obstat, quia respubli- ca vel supremus Princeps non proprio consilio, sed communi sui regni ducitur in hac vindicta, & non tam propriam, quam communem causam agit; secus vero contingit in priuato, ob idque non versatur tantum periculum excessus. Adde, persona priuata potest manu sui superiori se satisfacere. Quod si aliquando superior noluit illi dicere, per accidens est, & patienter debet tolerare. At republica suprema, cum superiorem non habeat, ipsa sui ipsius debet esse vindex.

Qualis autem debeat esse iniuria, quae bellum honestate potest? Constat apud omnes debere esse grauissimam; Nam cum in bello nocentibus, & innocentibus plura mala, & pericula quam mortis, tum deaestimationis bonorum fortunae contingant, merito grauem causam expostulant: sicut enim pro leui delicto, non licet iudici malefactorem mortis pena punire, ita non licet bellum, quae grauissima poena est, inferre. Sed pro mensura peccati debet esse & plagarum modus. Deut. 25. sic ex communi sententia docet Victor. de iure belli, num. 14. Coninch. disp. 31. dub. 2. num. 51. Mol. tract. 2. de iurisdictione 102. vers. illud est. Suar. disp. 31. sect. 4. num. 2. Valen. 2. disp. 3. q. 16. p. 2. vers. tertio: ubi inquit, Ad bellum iuste inferendum, non sufficit qualicumque iniuria, sed quae vel absolutè, vel ob aliquas circumstantias sit vel maior, vel certe non minor, quam damna, quae solent bellum afferre.

Aduerso tamen cum Suar. aliquando leuem apparere iniuriam, quae spectatis omnibus circumstantiis grauis est, quia viam aperit grauioribus malis, sic non est reputanda leuis iniuria occupatio vniuersi oppidi; illiusque deaestatio, quia est grauis domini coemptus. Quapropter Mol. disp. 140. Coninch. n. 52. Valen. puncto 2. vers. extra controversiam. Bonac. disp. 2. de resist. q. 4. ubi. 2. in fine. & alij referunt iniurias, ob quas bellum iudici potest: primo iniusta aggressio reipublicae. Secundo, Rebello subdito. Tertio, Publica in Principem contumelia, vel in sibi subditis, quia est illorum custos, & defensor. Quarto, occupatio iniqua alienius ciuitatis: Quinto, violatio foederis inter in re magni momenti. Sexto, denegatio eorum, quae iure gentium omnibus videtur licere, qualis est transitus necessarius per alienas terras, hinc enim si abique causa iusta negetur, praebet sufficientem causam bellandi. Sic Mol. Victor. Valen. & Bonac. supra. & probat manifestè Augustin. in cap. normandum 22. q. 2. Et illo loci Num. 21. ubi filij Israel aduersus regem Amorreorum mouerunt bella, quia eis transitus innoxius denegatus fuit, qui iure humanae societatis acquilissimo patere debebat. Debent tamen transirentes omnem securitatem facere; alias iuste illis poterit denegari: qua ratione sepe amaris denegatur, quia ferè semper periculum timeatur, vt bene dixit Coninch. disp. 31. dub. 2. n. 51.

Hanc causam extendit Victor. 2. p. de Indis insularis in principio comprehendat, si aliqua republica, v. g. India, vel Venetia, non permitat ciues alterius reipublicae sibi peregrinari, mercatum exercere, per flumina illius religionis nauigare, piscari, mineralia effodere, gemmas, & aurum extrahere, praecipuae, si haec aliis exteris concessa sint, quia iure gentium haec omnia videntur debere. At haec extensio admittenda non est: cum nullo iure probari possit tale commercium cuiuslibet extero debere, praecipue cum illa republica grauissimas causas habere possit denegandi exteris id quo indigent domesticis, sic latè Mol. tract. 2. disp. 105. vers. at nobis contrariam. Coninch. disp. 31. dub. 2. num. 52. maxime cum ex tali commercio sepe damna propriis, ciuibus proueniant. Adde si aliquibus ex suis subditis ob aliquam causam in aliorum libertatem potest reipublica commercium, & nauigationem piscationem, & alia eiusmodi interdiceret, cur non poterit exteris, quibus praestitum, reipublicae non incumbit? Resistat ergo, vt solum bellum inferri possit, cum ius debitum violatur. Pro hac ergo violatione impedienda, reparanda, & vindicanda bellum moueri potest non solum aduersus praecipuos offensores, sed etiam aduersus eorum fautores, defensores, & receptores, quia haec ratione ipsi iniuriosi sunt, sic Mol. tract. 2. de iust. dispensatione 104. vers. quarta, & quinta. Valen. puncto 2. vers. qual. quarto, ex sexto. Coninch. num. 14. & 25. & 53. Bonac. disp. 2. de resist. quest. ubi. p. ubi. num. 6. & alij.

Dixi causam instam belli esse iniuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam, vt inde colligatur ob nullam aliam causam bellum moueri posse, quia bellum est actus iustitiae, quo bellans intendit ius suum illatum seruare. Ergo vbi nullum ius laeditur, nulla est occasio bellandi, sic supponunt Doctores relati. Mol. disp. 104. & 105. Bonac. supra. Coninch. disp. 31. dub. 2. num. 54. Suar. de charit. disp. 13. sect. 4. artic. numer. 3. & sect. 5. num. 6.

Hinc infero te posse bellum mouere aduersus eos, qui innocentes occidunt, ad idololatriam cogunt, aut alias iniusti-

tias committunt; quia suscipis bellum in defensionem proximi, & nomine illius. sic Mol. disp. 106. conch. Suar. de charit. disp. 13. sect. 5. num. 5. Bonac. disp. 2. de resist. quest. ubi. p. ubi. s. 2. in fine. Eadem ratione mouere bellum potes aduersus eos, qui praedicationem Euangelij impediunt, concionatores iniuriam afficiunt, religionem Christianam blasphemant, quia haec est defensio Christianae fidei, vt late diximus, cum de fide ageremus; & tradit in praesenti Suar. sect. 5. in fine. Bonac. supra.

Secundo, infero ob idololatriam, infidelitatem, & alia peccata contra naturam te non posse bellum suscipere aduersus eos, qui nullo modo tibi subditi sunt sic Bonac. disp. 2. de resist. q. ubi. p. ubi. s. 2. num. 13. Mol. disp. 106. Valen. disp. 1. q. 10. p. 7. Coninch. disp. 31. dub. 2. num. 54. Suar. disp. 13. sect. 5. num. 3. Ratio est manifesta, quia nemo puniri potest, nisi punienti subditus sit, quia puni- tio actus est iurisdictionis, quia est actus vindictae iustitiae. Subditus autem esse potest vel ratione personae, vel ratione delicti, qui ergo ex persona alteri non subicitur ex ratione delicti subditi illi non potest, nisi delictum contra illum sit, illiusque ius violat; alias quaelibet reipublica aduersus aliam mouere bellum continuo posset ob peccata, quae ciues committunt: quod est omnino absurdum. Non enim Deus omnibus potestatem dedit suas iniurias vindicandi. Hinc à fortiori colligitur non esse iustum titulum barbaram gentem debellandi, vt apertiore, & politico modo gubernarent, si eorum vita aliis iniuriola non sit. sic Mol. disp. 105. in fine. Coninch. disp. 31. dub. 2. in fine num. 54. Suar. de charit. disp. 13. sect. 5. numer. 5. Sed vt claris supradicta doctrina innotescat, enodandae sunt aliquot difficultates circa causam iustam belli.

Prima difficultas est, quae ratione tibi consistat de iusto titulo bellandi, vt possis bellum inferre? Cui difficultati pro tenuitate nostri ingenij satisfecimus tract. de conscient. disp. puncto 7. & 8. disp. 3. p. 4. tam de inferente bellum, quam de militibus pugnantibus, quomodo debeant examinare causam belli. Solum aduerso te non posse alium à possessione regni deturbare ex eo, quod credas regnum ad te pertinere, nisi simul valeas claris probationibus conuincere; quia dum possidenti haec non ostenduntur, non tenetur se regno priuare, sed potest se vi aduersus inuadentem tueri. Ergo inuadens non potest illum expellere. Alias bellum non solum materialiter, sed formaliter iustum daretur ex vtraque parte, quod non est admittendum. Quod si probationes clare sint, ipse tamen vel ob ingenij hebetudinem, vel ob passionem, vel quia male consulit, illis non acquiescit, poterit tunc debellare, quia praesumere potes ex malitia procedere; vel ex ignorantia, quae tibi prauidicare non debet sic bene docet Coninch. disp. 31. de char. sub. 2. art. num. 44.

Secunda difficultas est, an dari possit iustus titulus bellandi ex vtraque parte. Videtur inquam, dari posse. Primum saepe oppugnans, & oppugnatus non peccat belligerando; eo quod vterque probabiliter credit sibi regnum pertinere. Ergo ex parte vtriusque est iustus titulus. Secundo, Oppugnans ciuitatem interficere potest innocentes, si alia via non potest illam sublicere, At innocentes possunt se ab oppugnatione defendere. Item condemnatio ad mortem ob delictum falsò probatum potest resistere executioni sententiae. Ergo, Item captiuus ius habet fugiendi, & dominus ius detinendi. Et eadem est ratio de reo in carcerem detrufo, qui ius habet fugiendi, cum tamen iudex habeat ius illum detinendi, & puniendi si fugerit. Datur ergo titulus bellandi iustus ex vtraque parte, iustumque bellum, etiam nulla intercedente ignorantia.

Dicendum tamen est dari non posse per se, & seclusa ignorantia iustum titulum belli ex vtraque parte circa eandem rem: sic supponit ex communi sententia Valen. disp. 3. q. 17. puncto 2. vers. modo certum est. Rationem reddit, quia nulla virtus potest habere actus sibi contrarios, alias secum pugnet, & bonum bono contradiceret. Ergo iustitia, quae tibi praebet titulum iustum possidendi, v. g. ciuitatem, & oppugnandi sibi existentes, non potest tribuere iustum titulum oppugnati sibi contradicendi. Item iustitia vindicativa, quae tibi praebet ius puniendi delinquentem, non potest tribuere ius delinquenti resistendi punitioni.

Neque obstant contraria.

Ad primum; concedo, saepe oppugnantem, & oppugnatum non peccare, quia ex ignorantia inuincibili iuris procedunt. Hoc tamen non probat ex vtraque parte dari iustum titulum, sed ex vna parte dari, & in alia praesumi, & ratione illius praesumptionis potest ille actus ad iustitiam pertinere.

Ad secundum, admitto innocentes oppugnari, quatenus sunt mixti nocentibus, & nequeunt nocentes alia via oppugnari: Et vt sic ipsi non conceditur ius resistendi, conceditur tamen ius fugiendi, quod oppugnatores impedire non possunt, imò potius debent fauere. Similiter delinquenti non conceditur ius resistendi magistratui in executione sententiae: esto concedatur ius fugiendi sententiam, & captiuo conceditur ius fugiendi, non tamen resistendi detentioni, & punitioni quae licet aliquam contrarietatis speciem habeant, verò contraria non sunt, neque dite est inter se pugnant, vt bene aduertit Valen. sup. & Lessius lib. 2. de iust. c. 15. num. 30.

Sed obieci. Ergo falsò dictum est iniuriam esse vnicam belli causam siquidem ille qui non peccat, tibi iniuriosus non est

Qq 4 quia

DESTRU- ALIAC- TION- I-

quia non est iniustus. Respondeo dupliciter sumi posse iniuriam, aliam formalem, & peccaminosam, aliam materialem & sine peccato contingentem. Ad bellum ergo defensionum, seu reparatum quolibet ex his sufficit; quia finis huiusmodi belli est ius proprium illatum servare, & læsum reparare; cui fini parum refert ad actum cum peccato vel sine illo: Si tamen bellum vindictarium sit, id est, ad vindicandam iniuriam factam, hoc fieri nullatenus potest nisi peccaminosa iniuria commissa sit, quia pœna præcipue ita grauis, qualis est belli indictio necessario culpam grauem, quam puniat, supponere debet. Sic Mol. *disp. 102. per totum*. Inter bella, illa est notanda differentia, quod ex bello procedente contra aduersarios inuincibili ignorantia laborantes non potest bellator exigere expensas belli, neque aliquid aliud præter id, super quo bellum mouetur; Secus uero cum culpa committitur, quia ipsi oppugnati nec tenentur ratione rei acceptæ, neque ratione acceptationis. sic Mol. *disp. 102. post med.*

Tertia difficultas est, an oblata ab aduersario sufficienti satisfactione, teneris ab illo desistere?

13 Caietan. in *sum. verbo bellum*, distinguit de oblata satisfactione ante bellum inceptum, vel postquam ceptum est, dicitque te obligatum esse à bello desistere, si ante bellum offeratur ab aduersario sufficienti satisfactio, & damna illata tibi compensentur. Quia tunc bellum non est tibi necessarium sed uoluntarium ac proinde erit illicitum, quia sola necessitas a iure potest. *c. noli. 23. q. 1*. Si uero satisfactio offeratur post bellum inceptum, affirmat Caiet. non esse obligatum satisfactionem acceptare, quia iam aduersarii non sunt in statu satisfaciendi sed satis patienti. Idem reputat probabile Eman. Saa. in *utraque edit. verbo bellum. num. 9.*

14 Dicendum tamen est quocumque tempore ab aduersariis debita satisfactio offeratur, debere à bello desistere si securè potes, & absque periculo perdendi uictoriam: sic docent ex communi sententia Mol. *disp. 102. in medio vers. belli causa*. Valen. 2. 2. *disp. 3. quest. 16. puncto. 2. vers. hic autem controuersa est* Coninch. *disp. 31. dub. 2. n. 37*. Suar. *disp. 13. de char. sect. 7. art. n. 3.* & alij apud ipsos. Ratio est, quia bellum solum necessitate, non uoluntate suscipitur ut dixit D. August. *epist. 207. ad Bonifac. comitem* & refertur in *cap. noli. 23. q. 1*. Sed cum debita satisfactio offeratur, cessat omnis necessitas bellandi. Ergo contra iustitiam peccas, si tunc bellum prosequaris. Aduerto tamen sub debita satisfactioe comprehendit, ut non solum tibi reddantur omnia illa quæ tua sunt, sed etiam soluantur expensæ in bello factæ, & pericula & molestiæ quibus te & tuos exposuisti, & iniuria factæ compensentur. Quia etiam ad hæc omnia ius habes, omnia hæc compensari debent priuquam teneris à bello cessare. Insuperque petere potes quidquid in posterum tibi necessarium est, ut securè uiuas, & pacem obineas, quia hic est præcipuus belli scopus. Quæ omnia ipso conflictu, & belli congressu ferè sunt impossibilia, ideoque forè dixit Caiet. nunc aduersarium potius esse in statu satis patienti, quam satisfaciendi, quia uix est possibile offerre tunc satisfactionem, quæ iudicetur præ angustia temporis tunc sufficiens, tum securè sic Doctores supra relati.

15 Sed quid si pars rebellis ob absque ullo periculo possit illam perimere, perit tamen ueniam, & in quantum potest, se tibi submitteat, & iniuriam pecuniarum, tributis, & aliis eiusmodi compensat, & pignora præbet quibus te securum reddit à timore in posterum sumis iniuriæ. Dubium ergo est, an teneris hanc satisfactionem acceptare, & à bello desistere, vel possis bellum mouere, quousque tibi tradantur nocentes iugulandi? Ratio dubitandi est, quia factus es iudex rebellium ob iniuriam acceptam, illisque vindex: sed iudex non tenetur acceptare satisfactionem oblata à delinquente, sed pro grauitate delicti pœnam illi infligere potest, quæ sibi magis placuerit modò limites iustitiæ non excedat. Ergo sic dicendum est in casu præsentis. Neque ualeat dicere te esse iudicem extraordinarium, & in defectum, quod pars aduersa non habet superiorem. Nam præterquam quod sub hęc est, an debeat iudex extraordinarius, vel ordinarius uocari ratione delicti, & iniuriæ acceptæ: nihilominus eo ipso quod iudex est conuersus in defectum superioris, uideris illius uices habere, & sicut superior non teneretur acceptare satisfactionem illam, sed possit in aliorum exemplum pœnam promeritam nocentibus inferre, sic uideris tu posse, sic spectato iuris rigore affirmat Mol. *tratt. 2. de iust. disp. 102. post. med. vers. dubium est. & seqq.* Bannes. 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 2. concl. 4.* Lorca. *disp. 49. num. 6. & disp. 52. num. 3. & disp. 53. num. 12.* Et mihi placet hic modus dicendi, quamuis difficilem reputet Coninch. *disp. 31. dub. 2. a. num. 19. & adub. 7. à n. 106.* motus ea præcipue ratione, quia bellum contra non subditos non potest indicari ad vindicandam iniuriam, nisi quatenus iniuriatum necessarium est, vel ad reparationem honoris, vel ad futuram securitatem, quia ut dicit August. dicto *cap. nulli bellum*. sine necessitate indicari non potest. Aliàs (inquit) obligati essent nocentes se ipsos tradere iugulandos, neque possent vi resistere, neque alios illos defendere. Sed hæc omnia infirma sunt; pugnant enim contra sententiam affirmantem bellum esse actum uindictiue iustitiæ, quod stare non potest, si iniuriæ uindictæ solum essent, quatenus earum uindictio necessaria est ad repara-

tionem iuris læsi, quia tunc potius commutatum iustitiam, & legalem, quam uindictiue exerces. Vt ergo finem sit, bellum esse iustitiæ uindictiue actum, affirmandum est bellum non solum reparationem sui honoris, & securitatem in futurum intendere posse, sed etiam debitam pœnam iniuriarum infligere, quod ex Adriano notat Valen. 2. 2. *disp. 3. q. 16. p. 3. vers. secundo*. Neque inde fit teneri nocentes se tradere iugulandos; sufficit enim si vi, & armis non resistant, quia ius conseruandi uitam uoluntate naturæ conforme, aliis iuribus præponderat.

16 Aduerto tamen etsi spectato iustitiæ rigore non teneris illam satisfactionem admittere, ac spectato iure charitatis sapè teneris: charitas enim postulat se afflictis, & humilitati minuire rigorem, ne in desperationem ueniant, ne uel tor mala contingant, quæ secum trahit bellum: sic Coninch. *dicta disp. 31. dub. 2. n. 26. Mol. disp. 102. circa finem. vers. hinc credo*.

17 Quarta difficultas est, an stante iusta causa bellandi aduersus aliquem illicitè moueas bellum?

Responder. Caiet. 2. 2. *q. 96. art. 4.* Coninch. *disp. 31. dub. 4. n. 77.* illicitè moueri, si minima subit ipse uictoria: quia tunc temeritatis argueris, & iniurius tuis existes, cum eos periculis grauis finis exponas ob exiguum utilitatem. Cæterum, ut bene dicit Suar. *disp. 33. de charit. sect. 4. in fine*. omnia pensanda sunt, & uidentur, an ipse uictoriæ præualeat, damnis, quæ timeantur: nam si ipse præualeat, tenentur bellum potest minus, cessandum à bello, inquam, aggressiuo; secus à defensiono, quia hoc cum aliquo spe uictoriæ tentandum est, quia necessitas, non uoluntatis est. Ex quo fit uerum non esse, quod Caiet. affirmat, requiri moralem certitudinem uictoriæ, ut bellum possit indicari, quia solum probabilis ipse uictoria potest præualeat damnis, quæ ab aduersariis timeantur. Item quia bono republicæ maxime expedire potest, ut inimici intelligant te non esse pusillanimum, & timidum, sed forti animo, audacem, periculæque contemneris. Denique ratio licet Regi minus potenti bellum potentiori indicere, si moralis certitudo uictoriæ necessaria esset, cum hæc à minore potentiore nunquam haberi possit.

18 Ex aliis autem capitibus potest bellum illicitum esse, & contra iustitiam itane iusta causa bellandi. Primum erit illicitum, & contra iustitiam, si damna, quæ ex bello sequuntur, propriæ republicæ præualeant utilitati uictoriæ speratæ, quia Princeps in suis communibus actionibus tenetur prouidere potius bono sue republicæ, quam proprio. A republica enim accipit potestatem gubernandi non pro suo libito, & uoluntate, sed pro bono ipsius republicæ: quod si contrafaciat, & contempnat utilitate republicæ, propriæ acquirat, non Rex, sed tyrannus erit. sic Mol. *disp. 102. in fine*. Suar. *de char. disp. 13. sect. 4. num. 8.* Secundò, illicitum erit bellum, & contra charitatem debitam bono communi, si eadæ inde religionem Christianam minuendam esse, & hostes Ecclesiæ potentiores futuros, & fortè nostra inuadent, & occupantur, tunc, inquam, Princeps Christianus læsus suis commodis cedere debet, ut bonum commune religionis non ita grauitè preat, ad quod præstandum compelli potest à Pontifice, etiam sublatò iure bellandi: Sic Victor. *de iure belli. n. 33.* Coninch. *disp. 31. dub. 4. num. 72.* Suar. *disp. 13. de charit. 1. sect. 4. n. 8.* Valen. 2. 2. *disp. 3. quest. 16. puncto. 2. vers. octauo certum est*. Mol. *tratt. 2. de iust. disp. 107. vers. rectè aduonem*. Tertiò, illicitum esse potest bellum, & contra charitatem debitam, si ob leue tui commodum grauisissima mala republicæ aduersæ inferres, præcipue si ipsa pro uiribus tibi satisfaciatur. Suar. *supra*.

PUNCTUM IV.

Qui modus seruandus sit in bello, ut licitè fiat.

- 1 Ante bellum competit Principi examinare iustam causam bellandi, non autem ducibus, & militibus.
- 2 Ea licent, principi, ducibus, & militibus in bello, & post bellum, quæ necessaria sunt ad finem belli consequendum.
- 3 Duce, & milites ex mandato Principis debent procedere, aliter contra iustitiam peccabunt cum obligatione restituendi.
- 4 In bello licitum est insidiis, & stratagematis uti, nisi fidem aduersus illos non utendi.
- 5 Nocentes hostes licet bellanti occidere.
- 6 Non tamen decet Christianam pietatem multos, etsi dignos morte occidere.
- 7 Innocentes directè occidi non possunt, bene tamen indirectè.
- 8 Proponitur quadam obreccio probans innocentes directè occidi posse. Et sic illi satis.
- 9 Probatur innocentes posse indirectè occidi.
- 10 Explicatur, qui reputentur innocentes, quos non potest bellator uita directè priuare.
- 11 Licitum est libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere.
- 12 Ab hoc iure exceptiuntur Christiani capti ab aliis Christianis, nisi fuerint à fide apostata.
- 13 Innocentes optime possunt in seruitutem redigi, si res publica digna est hac pœna.
- 14 An capti bello iusto possint fugere, & possit eos ad fugam inuare proponitur.

- Propositor sententia negans.
- 45. Affirmans sententia defenditur, nisi fidem seruum dederis de non fugiendo.
- 46. Satis est contrariis n. 14. adductis.
- 47. Bona hostium etiam illorum, qui innocentes sunt, occupari à vi-ctore possunt.
- 48. Bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum innocentium ab hac regula excipiuntur.
- 49. Per accidens deuariari occuparique possunt, si necessarium fue-rit ad finem belli consequendum.
- 50. Idem est dicendum de cuiuscunque innocentis bonis.
- 51. Victoria reportata, probabilis est de teneri iis satisfacere, tamesi ex occupatione horum bonorum ditor non exarsis.
- 52. Repraesalia seu impignorationes licita, sunt seruatis aliquibus conditionibus.
- 53. Bona in bello capta, si immobilia sunt, pertinent ad principem, si mobilia, sunt capientium, nisi aliter consuetudo obtinuerit.
- 54. Si male à capto possideantur, & immobilia sunt, reddenda sunt dominis, si mobilia, iure naturae dominis prioribus red-di debent. At iure Casareo sunt capientium, si ad praesidia, lo-cae tuta deperarunt.
- 55. Excipiuntur ea, quibus privilegium postliminii est concessum.
- 56. Ea quae iure Casareo concessa sunt legibus Castella, & aliorum regnorum approbantur.
- 57. Tria aduertenda sunt pro explicacione superioris doctrinae.
- 58. Licet non est ciuitatem aliquam dari militibus in praedam.
- 59. Quae ratione Princeps compositionem facere possit cum alio Prin-cipe iniuste bellante.

Hac condicio explicatur, explicitis iis, quae conringere pos-sunt ante bellum, in bello, & post bellum. tum Principi, tum Ducibus, tum militibus.

Ante bellum tenetur Princeps, examinare iustam belli cau-sam, illamque aduersariae parti proponere, ut eidem iustitia belli constet, si compensationem debitam nolite facere. Quia nemo potest bellum indicere, nisi necessitate coactus, sic ex August. ex cap. Molin. 23. tradit Suar. disp. 13. de bello, sect. 7. numero 1. Ducibus autem, & militibus non competit causam iusti belli examinare, sed quoties de iniustitia non constat, praesumere de-beat iustam esse, ut latius diximus tract. de conscient. disp. 2. p. 8. & disp. 3. part. 14. & probat optime Suar. disp. 13. de bello, sect. 6. n. 11. & 12. Quod praecipue verum est, quando non sponte, sed praepo-cocti bellum suscipiunt, ut beate dicit Coninch. disp. 31. dub. 5. n. 84.

In bello autem, & post bellum, dicendum est ea omnia lice-re Principi, & ex eius mandato ducibus, & militibus, quae ad fi-nem belli consequendum necessaria, vel conuenientia sunt ad re-parationem acceptae iniuriae, ad illius vindicationem ad pacem, securitatem firmandam: sic ex omnium sententia tradit Victor. relect. de iure belli, in 37. & seq. Syluest. verbo bellum, 1. concl. 2. & Valen. 2. disp. 3. q. 15. puncto 3. assert. 1. Mol. tract. 2. de iustit. disp. 17. in princ. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. puncto ult. §. n. 14. Coninch. disp. 31. dub. 6. n. 108. Suar. de charit. disp. 13. sect. 7. n. 6. & 7. Ratio est manifeste, quia si finis licit, & media ad illum conse-quendum licite debent. Vnde licet hostium bona viurpare, agros vastare, arcem occupare, ciuitatem diripere, si haec omnia iudi-cantur apta ad supradictos fines.

Notanter dixi licere ducibus, & militibus, ex mandato Principis, nam si contra eius voluntatem saltem praesumptum bel-lum moueant, vel aliqua damna inferant, contra iustitiam faci-ent cum obligatione restituendi. Quia ipsi datum non est, bel-lum mouere, neque iniurias sibi factas vindicare. Aduer- tam aliquando hanc damnorum illationem militibus prohiberi, non in gratiam hostium, sed in ipsorum, & reipublicae vtilita-tem, ne, inquam, disciplina militaris deferatur, neque exercitus damnatum aliquod patjatur, neque hostes irriterentur: tunc enim nulla erit obligatio militibus restituendi damna, quae inferunt, quia praesumendum est, sic esse voluntatem Principis, postquam iam illata sunt: sic Mol. tract. 2. de iustit. disp. 10. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. §. 3. n. 16.

Et ergo haec doctrina clarius eluceat, aliquae speciales dif-ficultates, notandae sunt breuiter.

1 Prima, an liceat uti in bello insidiis, & stratagematibus? Respondeo licere, si apta reputentur ad victoriam consequen-dam, quia hoc per se malum non est, non enim est mendacium, sed simulatio, occultioque veritatis, quae ex honesta causa expè-licet, & tradit Ang. relectus in cap. Dominus. 23. q. 2. exemplo Iosep- h. cui praecipit Dominus insidiis uti ad expugnandam ciuitatem aie. Si enim licet hostes occidere, ut victoria obtineatur, quanto magis permittente, ut decipiantur. Excipiendus est casus, quo fi-dem dedisses hosti, non vrendi insidiis, quia tunc deberes fidem seruare, & promissa implere, ut beate dicit D. Thom. 2. 2. q. 40. n. 1. nisi forte coactus dedisses, quia coactio promissionem an-nullat, ut diximus, tract. 2. de peccat. aut si promissio in graue damnatum boni communis, reipublicae, vel religionis, cederet, quia tunc etiam iuramento firmata impleri non debet, vel tantum si hostis violaret in toto, vel ex parte, fidem vicissim da-

ram. Non enim neganti fidem, fides seruanda est, quia haec pro-missiones habent tacitam conditionem, dummodo promissarius promissis steterit. Et in his conueniunt Doctores, ut videre est apud Valen. disp. 3. q. 16. puncto 3. illar. 1. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. p. ult. §. 3. n. 16. Mol. disp. 11. in princ. Suar. disp. 13. de bello, sect. 7. num. 25.

2 Secunda difficultas est, an liceat bellanti hostes occidere? De nocentibus, & rebellibus nulla est dubitatio occidi posse, tam in ipso pugnae congressu, quam post victoriam partam, si eorum mors necessaria sit ad vindicandam iniuriam, pacem, & securita-tem in posterum stabilendam: sic Valen. 2. disp. 3. quest. 16. p. 3. vers. septimo infero. Coninch. disp. 31. dub. 7. n. 129. Suar. disp. 13. sect. 7. n. 7. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. p. 12. §. 3. num. 21. vbi alios refert. Ratio est, quia si fias licet, & media licere debent. Item parva victoria iam hostes vincenti subduntur, & vincens est eor-um iudex, & superior. Poterit ergo in poenam delicti commissi eos inficere, si delictum morte dignum sit. Quod verum habet, etiam si nocentes hostes se dederint inimicis, adhuc enim morte plecti possunt, si digni sunt, nisi forte sub promissione vitae se de-derint, quia tunc seruanda est: sic Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. puncto 12. §. 3. numero 25. Mol. tract. 2. disp. 11. in fine. Valen. disp. 3. quest. 16. puncto 3. sub. 7. infero, vers. secundo, pag. 721.

3 Aduertendum tamen est, si multi nocentes sunt, & omnes digni sint morte, & illa affici possent, spectato iustitiae rigore, non tamen sic esse afficiendos. Quia crudelitatem redolere, & in de-trimentum boni communis, & religionis cederet, nisi forte ad firmandam pacem hoc simpliciter iudicaretur necessarium. Non enim decet Christianum sic exardescere aduersus iam victos, & humiliatos, sufficeret tamen ad aliorum exemplum, praecipuos punire, & multitudini parcere, sic Victor. de iure belli, num. 44. Valen. & Coninch. supra. & optime Mol. disp. 12. concl. 2. §. 4.

4 Quod si de innocentibus loquamur constar apud omnes per se, & directe occidi non posse, bene tamen indirecte: sic plu-ribus relatis docent Couarru. reg. peccatum 2. part. §. 3. n. 4. Fran-ciscus Victor. de iure belli. n. 37. Mol. disp. 19. concl. 1. & 2. Suar. disp. 13. sect. 7. n. 11. Bonac. disp. 2. de restit. quest. ult. sect. 1. pun-cto 12. §. 3. num. 17. Valen. disp. 3. quest. 16. par. 3. vers. tertio infero. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 120. & alij. Priorem partem probos, quia occisio hominis per se mala est, & prohibita, nisi à potesta-te publica ex causa legitima fiat. At nulla est causa legitima inter-ficiendi innocentem. Nam si aliqua esse posset, maxime culpa totius ciuitatis, cuius ipsi sunt partes, sed haec esse non potest, quia ipsi immunes fuerunt ab illa culpa. Ergo ob illam non pos-sunt ipsi vita priuari, argum. de Veron. 2. vbi ob peccatum patris, nequit filius occidi, & ratio est, quia neque pater est dominus, neque esse potest vita filij, neque reipublica vitae suorum ciui-um. Quando enim ob peccatum vnus alter puniunt, semper puniri debet in bonis, quae ad ipsum delinquentem aliquo modo possint pertinere, & quorum ipse dominus fieri possit, & non in aliis, quia delinquens est, qui ibi praecipue puniunt, priuando ob eius causam innocentem honore, bonis fortunae & libertate. Cum ergo nunquam dominus esse possit vita alterius, efficitur ob eius causam priuari non posse. Confirmarique potest exemplo Am-brosij relati in e. cum apud Thebasiam 11. q. 3. excommunicationis, & grauer reprehendens Theodosium Imperatorem, eo quod innocentes cum nocentibus inuolueret in pena mortis, ob rebellionem ciuitatis. Quod si in aliquibus locis scripturae vi-deantur innocentes absque peccato fuisse interfecit à populo Is-raelitico, ut Iosue 6. & 1. Reg. 15. id dicendum est, fuisse factum ex specialia concessione Dei ob peccata illarum nationum, cum enim sit dominus omnium vitae, potest, prout sibi placuerit eam tripe-re, reperiendamque concedere.

5 Dices. Finis belli non solum est recompensatio iniuriae factae, illiusque vindicatio, sed pax, & securitas in futurum: sed timeri satis potest, si relinquatur viui, qui modò innocentes sunt, suc-cessu temporis nocentes esse futuros, & pacem turbatos. Ergo ob huiusmodi finem occidi poterunt. Videtur enim haec occisio esse quaedam anticipata defensio, & omnino necessaria?

Respondeo, ob huiusmodi causam nullo modo licere inno-centem occidere, quia alias liceret tibi priuato viro, quemlibet occidere, si aliquam leuissimam suspicionem haberes successu te-poris esse contra te arma sumpturum, quod absurdum est. Non enim licet in defensionem propriam alterum priuare vita nisi occi-dendus aggressor sit. Qui autem innocens est, neque de facto te aggressurum, imò nec voluntatem habet te aggrediendi, aggressor non est. Ergo aduersus illum non est locus defensionis. Qua-propter Franc. Victor. in relect. de iure belli, n. 18. Valen. puncto 3. vers. nam si hac. Mol. disp. 19. vers. ut verò, & alij reprobant, ut omnino illicitam, & intolerabilem occisionem infantium in bel-lo Saracenorum, timore ne postquam adulti sint, Christianos infestent, maiorum suorum exempla sequentes. Non enim licet penam infligere ob culpam non commissam, & forte non com-mittendam, praecipue cum alia dentur viae praecauendi haec max-la, scilicet priuando infantes illos sua libertate, omnibusque for-tunae bonis, quod statim dicemus fieri posse.

6 Secundam partem conclusionis, scilicet, innocentes posse per-

DE
STRO
VALAC
TON,

per accidens, & præter intentionem occidi, ex eo constat, quia hæc indirecta occisio sæpe est necessaria ad belli finem consequendum, quia sæpe innocentes ita mixti sunt nocentibus, vt nequeant ij oppugnari, & vinci, nisi cum periculo, & occasione innocentium. Si ergo finis belli tibi licitus est, & media sine quibus consequi non potest, licet. Adde talem occasionem non esse tibi impurandam, cum tu illam non intendas, sed solum permittas vtens iure debito. Quod si obicias. Illi innocentes se iuste à morte possunt defendere. Ergo iniuste tu illos aggredieris occidendos, nisi non esset iusta defensio. Respondeo, negando, se posse defendere te aggrediendo, tibi que resistendo, quia si hoc facerent, iam fierent nocentes. Concedo tamen posse se defendere, pura, inquam, defensione, si hæc illis, aliqua ratione prodelle potest. Aduerto tamen semper considerandum esse, an finis belli præponderet innocentium morti, & damnis alij inferendis, quia non est licitum tuam utilitatem propriam cum iactura aliorum grauissima querere vt ex Victor. *relect. de iure belli, num. 37.* notauit Valen. *disp. 3. qu. 16. puncto 3. vers. diximus.*

10 Sed inquires qui reputentur innocentes, quos nullo modo potest bellator priuare vitam? Respondeo, iure naturali reputari infantes, & mulieres, & qui non possunt arma sumere, bellumque iuuare. Videturque probari ex illo Deuteronomio. *20. Peruenietis omne quod in ea est generis masculini absque mulieribus, & infantibus, quasi reliqui omnes præter hos reputentur nocentes, & ij innocentes.* Verum vt bene aduertit Mol. *disp. 119. vers. hinc inferi Vi. Hor. sæpe mulieres adultas bellum iuuare, vel portando merces, vel seruando sarcinas, imò propria manu pugnando.* Quapropter inter infantes innocentes reputari non debent, si hostes comitentur, vel intra vrbem obsessam resideant, sed potius præsumendum est nocentes esse. Secus verò si non constet hostes fuisse comitatas. Item reputantur innocentes, dum aliud non constat, qui non sunt ciues reipublice oppugnatae, vt sunt aduenæ & peregrini, & mercatores non habentes domicilium, sed casu ibi mercantonia portantes, & quasi in transitu existentes. Iure autem gentium inter innocentes computantur legati, sive oratores, de quibus cap. *Paternarum 24. quæst. 3. & cap. illi qui eadem causa. & quæst. quia nisi præsumantur innoxij, non possent munus suum debite exercere.* Inter Christianos monachi, presbyteri, & conuersi, reputantur innocentes, dum contractum non probatur, quia, in ordine ad bellum non sunt partes reipublice, cum bellum illis sit prohibitum cap. *cognouimus de treuis. & pace. ibi, Innouamus, vt presbyteri, Monachi, Conuersi, peregrini, Mercatores, Rustici euntes, & redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum, securitate congrua letentur.* Et in iis consentiunt Doctores, Valen. *disp. 3. quæst. 16. puncto 3. vers. quinam Suar. de charit. disp. 13. sect. 8. num. 10. Mol. de iust. disp. 110. Bonac. disp. 2. de restit. quæst. ult. sect. 1. p. 12. §. 3. num. 17.*

11 Quarta difficultas, an liceat in bello libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere? Si rei naturam spectemus, certissimum est apud omnes licere, quoties in recompensationem iniuriæ factæ, & satisfactionem damnorum quæ victor passus est fuerit necessarium. Si enim victor priuare vitam hostes potest, à fortiori poterit libertate, & habetur. *Item ea quæ ab hostibus. Instit. de rerum diuis. sibi. Quæ ab hostibus capiuntur, iure gentium nostra sunt adeo vt liberi homines in seruitutem nostram redigantur.* Item traditur *l. naturalem. §. ult. & l. transfugam. ff. de acquir. rerum domin. l. si quid bello, l. hostes, ff. de captiuis & postlim. reuerfis consent. cap. ius gentium. dist. 1. & cap. dicitur. 23. quæst. 5.*

12 Ab hoc autem iure excipiuntur Christiani capti ab aliis Christianis, & eorum filij qui non possunt in seruitutem redigi ob consuetudinem inter eos præscriptam; possunt tamen detineri aliquantulum, dum pecunia aliqua in præmium captiuentium conceditur, sic alios referens docet. Couart. *reg. peccatum. 2. part. §. 11. num. 1. & 6. Mol. disp. 117. concl. 4. Bona. disp. 2. de restit. sect. 1. puncto 12. num. 21. Valen. disp. 3. quæst. 16. puncto 3. vers. quinta assertio. Suar. disp. 13. de bello sect. 7. num. 13. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 120.* Hoc tamen priuilegio non gaudent Christiani apostatae à Fide, siue subditi sint bellantis, siue non; quia quod in fauorem Fidei introductum est, non debet prodelle illis, qui Fidem abiurarunt, Suar. & Valen. *supra.* Hæreticis autem receptum est prodelle, quia ij aliquomodo Christum fatentur Suar. *loco citato* Filiis autem Apostatae, & Hæreticis, qui Fidem non relinquunt, certum est prodelle.

13 aliqui dubitant, an innocentes in seruitutem redigi possint, eo quod neminem soleat Respublica libertate priuare, nisi ob eius culpam? Dicendum tamen est recte posse, si iniuria ciuitatis aduerse hanc penam mereatur, sic Victor. *de iure belli. num. 42. Molin. sit de iustit. disp. 120. Eman. Saa verbo bellu. nit. 2. Coninch. disp. 21. dub. 7. num. 112. & 119. & seqq.* Ratio est, quia libertas inter bona fortunæ, quorum Respublica dominium habet, computatur, quia Respublica illorum bonorum habet dominium, quorum habent eius subditi: sed quilibet subditus propriae libertatis dominium habet, illamque vendere potest necessitate urgente. Ergo Respublica idem facere poterit, & confirmo. Pater necessitate urgente potest filium libertate priuare, & creditor debitorem impotentem soluere, si ius positium non obstat. Ergo à fortiori poterit Respublica quemlibet ciuem, cum quilibet debeat satisfacere pro debito reipublice, vt potè pars ipsius. Adde, receptissimi

esse tradi infantes obfides inimico nolenti aliter à bello desistere, qui tamen in arctam, & sæpe in perpetuam seruitutem reducuntur: quod est quoddam genus seruitutis, & priuationis libertatis.

14 Sed inquires, an ij captiui possint fugere; illisque possis ad fugam iuuare? Suppono esse captos bello iusto; nam si iniuste capti essent, quales sunt omnes Christiani à Mauris, & Turcis: clarum est fugere posse, quia iniuste detinentur, & laudabile opus charitatis esse illos fugientes iuuare, & à possidentibus eripere. De seruis autem bello iusto captis cenet Nauarr. *c. 17. num. 103. & 104.* & plures alij relati à Couarrun. Valen. *lectio. statim referendis, fuge te non posse; quod si seruis Christianus sit, & ab infideli domino fugiat, obligatum esse mittere præmium non tamen reddere ob periculum peruersionis. Probat Nauarr. suam sententiam. Primò, quia seruis pretio emptus fugere non potest, ergo nec bello captus. Tum quia potior titulus seruitutis est, qui ob bonum commune reipublice introducitur, quam qui priuata autoritate comparatur. Tum quia nulla datur distinctio interferum emptitium, aut bello comparatum. Secundo, hæc seruitus est quedam pœna à republica imposita iis, quibus forte pœna mortis debebatur ob iniuriam illatam, & ex pietate, & misericordia in hanc leuiorem pœnam commutatur. Ergo facta commutatione, & pœna seruitutis imposita, non licet damnatis fugere ab illa, aliàs liceret culibet damnato ad tritremes, aut in exilium ab eo fugere. Tertio fugientem seruum potest dominus castigare. Ergo si fugerit, est commissit culpam in fuga. Item potest illum vi, & armis, si opus fuerit, reducere neque potest repugnare; aliàs daretur bellum iustum ex veteraque parte. Ergo seruis non habet ius fugiendi. Tandem probatur, ex Concilio Gangienfi *cap. 3. relato in cap. si quis seruum. 16. quæst. 4.* vbi anathemate damnatur, si quis seruum prætextu diuini cultus doceat dominum contemnere proprium, vt descedat ab eius obsequio, ne ei beneuolentia, & omni honore deseruiat. Si iugiter consulti non potest fuga, ergo neque exequi, & *l. i. c. de seruis fugitiuis, dicitur fugiuis seruis furtum sui facere domino.* Neque ibi distinguitur de seruo empto, & de seruo bello capto.*

15 Nihilominus communior sententia est, & tenenda, licite posse seruum bello captum fugere ad suos, seu ad aliquam ciuitatem amicam, in qua tuti sint, sic aliis relatis docet Couarrun. *reg. peccatum. 2. p. §. 11. num. 6. & lib. 1. var. resoluti. cap. 2. numero. 10. Bannes 2. 2. q. 40. art. 3. Valen. disp. 3. quæst. 16. puncto 3. circa finem. vers. aliterum dubium. Lessius lib. 2. de iust. cap. 5. dub. 5. num. 24. Eman. Saa verbo bellum. nit. 7. Bonac. disp. 2. de restit. quæst. ult. sect. 1. par. 12. num. 26.* Ratio desumitur ex §. *Item ea quæ ab hostibus. Instit. de rerum diuis. vbi de seruis bello captis dicitur, si hostiam potestatem euadant, & ad suos redeant, pristinum statum accipiant, id est, consequantur libertatem, quam antea habebant.* Ergo tacite illis conceditur facultas fugiendi à consensibus dominorum, aliàs irrationabilis esset lex, quæ concederet libertatem in præmium actionis iniuræ, & quæ hæc via ad malum incitabat. Quod intelligendum est, etiam si capus suo, pretio venditur, semel & iterum, quia nunquam venditur, nisi seruitus bello comparata, atque adeo semper retinet priuilegium seruitutis belli. Et idem est de prole, si quam habeat, quia non debet esse detentis conditionis. Sic Lessius *loco citato. num. 27.* Notanter dixi licitum esse seruo bello capto fugere ad suos, vt indicarem aliam fugam intra confines dominorum, cum ex illa libertas non obtineatur, illicitam esse, & sic intelligit Couarrun. *supra. restitum in l. i. c. de seruis fugitiuis, & cap. ius gentium. dist. 1. & leg. 23. tit. 14. par. 7.*

Limitanda tamen est hæc doctrina, vt procedat, nisi fidem seruis dederit non fugiendi quia tunc speciali titulo fidelitatis, & maxime si iuramento firmatus esset, tenetur à fuga abstinere, sic Valen. Lessius, Bonac. & Couarr. *supra.*

16 Neque obstant contraria. Ad primum concedo seruum, qui per iustam empionem seruis factus est, non posse à domino fugere, quia receptum est empionem fuisse factum pro iure seruitutis perpetuæ. Quod tamè aliter dicitur de seruo bello capto, cuius seruitutis titulus nobilitat est. Quapropter huc à finibus dominorum ad finibus seruitutis fugere, non tamen feruo emptitio. A qua regula excipi debet casus, quo dominus seruum ad peccatum incitaret, neque rogatus vellet desistere, tunc enim liceret seruo cuiuscunque fugam arripere, si non habeat aliud commodius medium ad vitandum animæ periculum: sic ex omnium sententia tradit Nauarr. *cap. 17. num. 102. & Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 5. num. 19.* Eadem est ratio inquit Lessius, & bene si inhumaniter tractetur, vt si fame, siti, frigore, & verberibus sine sufficienti causa affligatur; quia tunc iniurius illi est dominus, à qua iniuria iure defensionis se potest eripere per fugam, cum alia via non suppetit. In iis ergo casibus non conuenit iure seruis libertatem, sed potius tenetur redire cessante periculo similis tractationis, & iudicioris. Nisi forte (subdit Lessius) fuerit iniuria tanta, vt merito libertate sit compensanda.

Ad secundum admitto seruitutem esse penam impositam ob delictum, sed quia imposita est ea condicione, vt condemnatus seruis liber ab illa exiit, si ad suos reuertatur, ea de causa licet reuertere. Ad tertium, admitto posse dominum hunc fugitiuum seruum, dum est intra tuam ditionem castigare, cum quia absolutè

absolutè est servus, & sibi subditus, neque tenetur præsumere animo revertendi ad suos, fugam arripuisse, sed potius animo vagandi. Tum quia acquiescit probabili Navarri, & aliorum sententia non posse fugere. Tum & præcipue, quia non castigat illum ob culpam commissam, sed obsequandum suis proprium terrendo seruum à simili fuga. Tum denique, quia sub hac conditione videtur illi concessa fuga, vt si interceptiatur, puniti grauius possit. Ad confirmationem concedo posse dominum vi, & armis, si opus est, fugientem seruum reducere, dum non peruenit ad suos, neque posse seruum resistere. Nego tamen inde inferri non habere ius fugiendi, quia habet ius fugiendi, dum à domino non impeditur.

Ad vl. dico in Concilio Gangiensi, non reprobari concilium absolutum datum seruo fugiendi dominum, sed datum prætextu religionis Christianæ, quasi religio Christiana obtestetur iurati.

Ad leg. 1. respondeo, seruum fugientem à domino animo diuagandi intra illius confines, furtum facere, secus si ad suos periret, vel loquitur de seruo empirio, non de seruo bello capto.

Quinta difficultas, qua ratione liceat hostium bona occupare? Non est dubium posse à Principe indicente bellum occupari bona hostium, quæ necessaria sunt tum ad reparandam iniuriam acceptam, illamque vindicandam, tum ad securitatem in posterum futuram: qua de causa licet arcem, & ciuitatem occupare, pecunie summam exigere & tributa imponere soluendam futuram & vt hæc implentur exigere obides, sic iuris Mol. d. 17. Suar. d. 13. sect. 7. de Charit. num. 20. & omnes. Quod non solum verum habet in bonis hostium innocentium, sed etiam innocentium, si necessaria sunt ad supradictos fines vindicæ, & securitatis, quia tunc non puniuntur innocentes, sed punitur reipublica in ipsi, cuius sunt partes sic Valen. 2. d. 3. quest. 16. puncto 3. vers. quando infero. Victor. de iure belli. m. 40. Couarru. reg. peccatum. 2. p. 9. num. 4. Molin. disp. 12. concl. 4. Suar. disp. 13. de bello. sect. 7. num. 19. Coninch. disp. 31. dub. 7. à num. 113. Ab hac tamen regula excipiuntur: primo, animalia, quibus sufficiens, & reconduntur, & semina portant in agrum, ex decreto Alex. 11. i. in cap. inuolutum. de treuga & pace.

Item excipiuntur ab hac regula bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium, quæ ob delictum ciuitatis occupari non possunt. Tum quia sunt specialiter dedicata, & à iurisdictione seculari exempta, ac proinde non debent ob delictum aliorum grauari. Tum quia Ecclesiasticam partem constituent distinctam à reipublica ciuili. Ergo propter eius culpam puniri non debent, sic ex communi sententia docet Valen. 2. d. 3. quest. 16. puncto 3. vers. hic autem. Suar. disp. 13. de charit. sect. 7. num. 14. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 117. Bonac. disp. 2. de restit. quest. 16. sect. 1. puncto 12. §. 3. num. 18. Mol. disp. 12. concl. 4. Addit præterea Suar. ibi cum Syluest. verbo bellum, in fine, hoc privilegium immunitatis gaudere omnia bona, quorumcumque sint, si in Ecclesia ad custodiam reponantur, quod pie dictum est.

Verum est hoc ita sit, per accidens tamen Ecclesia, ciuitate bona, diripiuntur, & deaustari possunt, si hoc necessarium fuerit ad finem belli consequendum, pacemve firmandam. Item possunt hostes ex Ecclesia extrahi, & in illa occidi, si prius ipsi Ecclesia abusi sunt, tanquam arce, & castris ad repugnandum, quæ eo ipso amittunt privilegium immunitatis, vt colligitur ex cap. sanctum Patrum, 10. quest. 1. quod tamen non amittunt, si illam munitur ad præciam Ecclesiasticorum innocentiumque defensionem: sic Syluest. verbo bellum, 3. quest. 6. §. 2. Suar. disp. 13. sect. 7. num. 14. Bonac. dicto num. 18. §. 19. Valen. p. 3. vers. hic autem Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 118.

Idem dicendum est de ciuicibus innocentis bonis, etiam si pars non sit reipublice aduersa, possunt, inquam, deaustari, & occupari, non per se sed per accidens, in quantum fuerit necessarium ad finem belli consequendum. Quod à fortiori procedit si credas illis bonis aduersarium vsurum, vt in iniuste oppugnet, quia tunc est quedam naturalis defensio, sic Valen. vers. quarta infero. Mol. disp. 12. in princ.

Si autem teneatis iis satisfacere victoria reportata, si dicitur ob illorum bonorum occupationem, aut deaustationem non cessatis. Variant Doctores. Negant te esse obligatum: Mol. disp. 12. concl. 2. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. p. 12. n. 19. quia non apparet ex quo capite ad restitutionem teneatis, non ratione rei acceptæ, quæ non extat, neque ratione iniuste acceptiois, quæ nulla fuit. At contractum militi dicendum videtur. Existimo namque te esse obligatum reparare. Primo, ex bonis hostis, si aliqua sint, quia hic causa fuit iniuria horum damnorum, tu verò illius bona occupans eandem obligant non contrahis, & colligitur ex Mol. supra. Quod si bona hostis non accepit sufficientia ad reparandam tuam iniuriam, & aliorum damnorum, credo ex propriis bonis te esse obligatum satisfacere, quia innocens, & qui pars non erat reipublice offendens non teneatur tibi donare sua bona, vt tu ius proprium recuperares, quia non eras absolutè, & simpliciter pauper, sufficiebat enim ea tibi mutare, atq; adeo ex tacito contractu manes obligatus.

22 Hinc resoluitur dubium de repressaliis, an licite sint? Repressalia, seu impignorationes vocantur bona que innocens res-

publica, & iniuriam passa, assumit à ciuibus reipublice nocentis in pignus satisfactionis, sibi, suisque ciuibus debita. Contingit enim aliquando Gallos, v. g. damnum inferre Castellæ, de oppidis, vel eius incolis, mouetur Rex Galliarum de iniuria facta, vt fieri satisfactionem procuret, ipse verò negligit. Tunc Rex Castellæ, permittens, sic nocentibus, non valet obtinere satisfactionem; vt innocentium bona occupentur, repressalias concedit, quod omnino videtur licitum, quia illa bona vsurpata sub domino sunt reipublice Galliarum, qui culpabilis existit, dum non procurat, vt sibi subditi satisfaciunt iniuriis illarum reipublice ciuibus. Ergo hæc reipublica innocens, & iniuriata in suis ciuibus punire poterit reipublicam iniuriantem, eius ciues innocentes, si opus est, grauando, & bonis priuando, iuxta sententiam August. in cap. Dominus, 23. q. 2. vbi iustam esse causam belli affirmat, si reipublica vindicare negligat, quod à suis improbe factum est, sic Victor. de iure belli n. 42. Couarru. reg. peccatum 2. p. 9. n. 4. Valen. disp. 3. q. 16. p. 3. vers. quinto infero. Mol. disp. 12. concl. 4. vers. confirmat verò. Coninch. disp. 31. dub. 3. v. 132. vbi n. 133. optime aduertit sex conditiones requiri, vt repressalia licite sint. Prima quod de iniuria facta manifestè constet; manifestè enim constare debet ciues alterius reipublice, iniuste vsurpare bona ciuium huius reipublice, vel detinere, nolleque soluere debita. Aliàs iniquum esset dubium debitum compensatione certa reparare. Debet autem hæc iniuria grauis esse, præcipue si bona vsurpanda sunt ab innocentibus, quia multis scandalis, & iniuriis est expositus hic modus recuperandi debitum. Mol. supra vers. licet autem. Secunda, vt superior delinquentem monere debeat de iniuria facta, vt fieri satisfactionem mandet, aliàs inique vexares innocentes, & alienam iurisdictionem sine occasione vsurpares. Aduertit tamen Molina, & bene disp. 12. vers. ad quem pertinet, si dum hæc satisfactio à superiore petitur, adsint mercatores illius reipublice, quæ damnum intulit, periculumque sit, ne dum satisfactio petitur, illi recedant, & forte debitum non facile recuperetur te posse illos detinere, illisque bona sequestrare expectans rei eventum, præcipue si credis damnum esse illarum auctoritate Principis, est n. hæc iusta defensio. Tertia, debet tibi constare culpabiliter Princ. nolle premere subditos vt satisfaciat, quia aliàs in eius defectum bona innocentium non subrogantur satisfactiois. Quarta, Princeps reipublice læte debet adiri, & facultatem concedere repressalias capiendi, quia solus is qui bellum mouere potest eas concedere. Quinta, Ne plus damni alteri reipublice inferatur, quàm necessarium sit ad plenam satisfactionem. Sexta, ne concedatur in personas Ecclesiasticas innocentes, quia hæc exemptæ sunt sub pœna excommunicationis. c. unico de iniuriis in 6. & notauit Valen. disp. 3. quest. 16. puncto 3. vers. 5. infero.

Hic ergo conditionibus positis repressalia, seu pignorationes licite sunt. Quocirca cum in cap. 1. Authen. vt non sunt pign. col. lat. 5. nouella 52. §. 1. v. m. Cod. vt nullus ex vicinis, dicitur acquiriti contrarium esse pro alienis debitis alios molestari; intelligendum est, quando propria auctoritate, & non ex facultate Principis, & seruat supradictis conditionibus sit.

Denique pro complemento huius difficultatis inquirens. Primo ad quem bona capta in bello pertineant; an, inquam, Principem, an ad milites? Et quidem si bona immobilia sunt, constat apud omnes ad Principem pertinere in satisfactionem iniurie acceptæ, re compensationem expensarum, & periculorum, quæ in bello subitis, ex l. si captiuus, & tradit eam communi sententia Couarru. reg. peccatum 5. n. 11. art. n. 1. præcipue n. 6. §. 7. Valen. disp. 3. q. 16. puncto 3. vers. quarta propositio. Coninch. disp. 31. dub. 7. nu. 121. Bonac. d. 2. de restit. q. ult. sect. 1. pag. 12. m. 22. Si verò bona mobilia sunt regulariter sunt capientium, nisi alicubi sit contraria consuetudo, vt hæc ratione ad pignam excidentur milites, & animosiores sunt; sic Couarru. Valen. Coninch. Bonac. & alij supra. Vide tit. 26. part. 2. nostrarum legum, vbi vacia de diuidenda præda statuntur.

Sed quid dicendum, si ea, quæ ab hostibus eripiuntur, ipsorum hostium non sunt, sed furti, & rapina sublata, qualia sunt ea quæ Turcæ à Christianis accipiunt? An inquam, hæc restituenda sunt veris dominis, vel possint præstantes bello iusto ea sibi retinere? Cui difficultati respondeo, si bona immobilia sunt, reddenda esse prioribus dominis, est communis sententia, cum Glossa leg. 2. §. de captiuis, tradit Couarru. reg. peccatum 3. p. 5. n. 7. Valen. supra. Mol. disp. 12. §. his ita explicatis, & probat lex Pompeius ff. de acquir. rerum domin. Si verò bona capta ab hostibus mobilia sunt, probabile reputat Valen. cum Couarru. supra non esse prioribus dominis restituenda, sententia Eman. Saa. edit. Complut. verbo bellum, p. 4. At distinguendum censet eum Mol. supra disp. 12. Coninch. disp. 31. dub. 7. art. n. 122. iure naturæ prioribus dominis esse restituenda, quia non amiserunt dominium. Iure tamen Cæsareo capientium fieri, si hostes ea deportarunt ad præidia, locave rura; quia tunc reputantur, ac si essent ipsorum hostium propria, secus si in ea loca non deportarunt, aut veri Domini eos fuerunt insecuti, quia tunc non possunt reparari quieti illorum possessores, constat ex l. si quid bello, 18. iuncta postlimin. §. ff. de captiuis, & postlim. reuers.

Ab hoc tamen iure excipiebantur aliqua, quibus privilegium

gium postliminij erat concessum: hoc autem privilegium in eo situm erat, ut ea que illo gaudebant, si ab hostibus capiebantur, ob cuius capturam, quasi extra litem, & terminum regni constituebantur, cum postea redibant, siue bello extincto ab hostium potestate, siue alia ratione quacunque reputabantur ac si nunquam in hostium potestatem devenissent, sed eundem statum obtinebant, quem habebant ante capturam. Ea vero que hoc privilegio gaudebant, sunt. Primo, homines, siue serui, siue liberi, liberi redibant ad suam libertatem, serui ad suam pristinam servitutem, hoc est, ad priorem dominum, seu illius heredes. Quod si pretio aliquis eo ab hostibus redemisset, si intra tres annos à domino pretium redemptori offerrebat, obligatus erat redemptor servos tradere, secus elapso triennio constat *l. in bello, §. si quis servum. ff. de Captiv. postlim. reuer.* iuncta *leg. ab hostibus 2. l. eodem tit. Secundo, gaudebant privilegio postliminij, naues apud vsibus belli, secus pilatorie alie agiles, que recreationis causa parantur. Tertio, equi, vel equæ siem patientes, ita haberent. *l. 2. ff. de captiv. & postlim. reuer.**

26 Hæc que de mobilibus iure Cæsareo statuta extant, statutis aliorum regnorum confirmata sunt, præcipue in hoc regno Castellæ *leg. 26. tit. 26. part. 2. vbi solum requiritur, quod res sublatæ ab hostibus cum ipsis pernoctauerit, etiam si ad locum tutum perducta non esset. Porrius autem leges ob bonum commune militiæ, hæc militibus donare, & à veris dominis auferre, tum vt ipsi milites hæc ratione animofores essent in pugna, tum ne scripturis agitarentur, an rei captæ dominum hostes haberent, cum ob vitandas lites in hac inuestigatione.*

27 Aduerto tamen cum eisdem Doctoribus Molina, & Coninch. supra. Primo has leges per se non extendi ad bona sublatæ ab his, qui subiecti non sunt iuri Cæsareo, & Castellæ, quare si bona, que Hispanus vsurpat à Turcis, Turcæ accepissent à Gallis, non videretur ex vi harum legum retinere posse. Neque e contra Gallus, si vsurpat bona Hispanorum à Turcis, quia Hispanus, & Gallus non eidem iuri subduntur. At credo in omni ferè natione ius hoc approbante consuetudine esse introductum, vt placet Em. Saa. *verbo bellum. nu. 4. Secundo, aduerto hoc privilegium esse concessum militibus hæc bona ab hostibus eripientibus; non tamen si emptione, aut donatione accipiant, quia tunc debent prioribus dominis restituere. Esto contrarium placeat Eman. Saa. *loca citato tit. Complut. quod in Romana expunctum est. Tertio, aduerto, si credatur Dominum non esse recuperatum rem ab hostibus male possessam, vt ferè semper contingit, poteris eam ab illis vili pretio emere ea, intentione, vt si dominus comparauerit, illi reddas, quia in hoc nullam illi irrogas iniuriam, sed potius vtiliter eius negotium geris. Quapropter si ipse postea velit rem sibi reddi reddere tibi debet pretium pro illa datum, tam in foro conscientie, quam exteriori. Tum quia hostis non tenetur de euicione, tum quia nomine ipsius & ex præsumpta eius voluntate pretium dediti. Mol. & Coninch. *supra Valq. de restit. cap. 9. §. 2. dub. 5. nu. 28. Bonac. alios referens disput. 2. de restit. q. ult. sect. 1. puncto 12. nu. 14. Idem est dicendum de his rebus cultui diuino dicatis, quas hæretici vsurpant à Catholicis, & vili pretio vendunt, poteris, inquam, illas emere ex præsumpta dominorum voluntate: credendum enim est dominos Catholicos potius velle, vt vili pretio emanent, & cultui diuino applicentur, quam quod ab hæreticis detineantur, & in vsus profanos influantur. sic Mol. d. disp. 118. fine.***

28 Sexta difficultas est, an possit, & debeat ciuitatem aliquam, vel aliquas dari in prædam militibus? Respondeo per se posse, & aliquando conuenire, si nimis rebellis fuit, & iniuriosa, vt sic aliis ciuitatibus sit in exemplum. Regulariter tamen id non decet, quia hæc occasione multa parantur scelera à militibus, extorquendo pecunias à captiuis, & eorum mulieres, & filias violando. Quapropter debet Princeps, & dux, qui hæc potestatem militibus concedit, vigilare summe, ne hæc scelera committantur, & committentes grauissimo supplicio punire, vt alij in officio contineantur; alias reus erit totius damni; sic ex Syluest. *Victor. & communi sententia notat Valen. disp. 3. q. 16. p. 3. vers. sexto, infero. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 12. Mol. tract. 2. disp. 122. in princ. Bonac. disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. pag. 12. n. 20. 29. Septima difficultas est, possit ne Princeps compositionem facere cum alio Principe iniuste bellante, damnorum que sui subditi acceperunt? Respondeo, si ipsi subditi liberè consentiant, certum esse posse; si autem ipsi teneant, nulla est remissio, nisi bono communi, paci- que reipublicæ expediat; quia Princeps ex officio tenetur subditos defendere, & iniuriantes cogere ad satisfaciendum quod si absque rationabili causa omittat, iniuriosus illis est. Stante autem bono communi reipublicæ, potest Princeps subditis iniuris compositionem, & remissionem facere, quia potestatem habet cogendi subditos, vt pro bono communi aliquam iacturam patiantur: sic alius relatis Syluest. *verbo bellum tom. quest. 12. Mol. disp. 123. conel. 3. & 4. Bonac. d. 2. de restit. quest. ult. sect. 22. §. 3. in fine. Damna vero facta Ecclesiæ, & Ecclesiasticis personis subiecta non sunt: debet tamen Prælati remissioni consentire, si id bono communi expedit, & præcipue si ex continuatione belli, & ius damnum Ecclesiæ imminet, vt ferè semper contingit. sic Mol. sup.**

PUNCTVM V.

Expenduntur specialius peccata, que in bello Principes, duces, & milites solent committere.

- 1 Si iniustum est bellum, peccat Princeps contra iustitiam, cum obligatione restituendi damna inde sequuta.
- 2 Si iniustum est bellum, peccat Princeps, si stipendia militibus non concedit statuto tempore. Item si temerè exercitum periculis exponit.
- 3 Duces, & ministri Principis grauissimè peccant, si plures milites representent, quam secum habeant. Item enumerantur alia peccata, que solent committere.
- 4 Expenduntur peccata, que milites committere solent.

1 Si iniustum bellum moueat Princeps, clarum est & peccat contra iustitiam, aduersus oppugnatos, & aduersus sibi subditos, & iis omnibus esse obligatum satisfacere damna, que inde receperant, quia fuit illorum iniusta causa. Ab hac tamen obligatione facisfaciendi subditi liberaretur Princeps, si ipsi absque vlla coactione scientes bellum iniustum illud aggrederentur, quia tunc ipsi sibi damna parantur. sic Mol. *tract. de iustit. disp. 123. conel. 2.*

2 At posteo iusto bello, Princeps peccat, si stipendia militibus non concedat, in pretium laborum, & periculum, que milites subit: imò obligatus est, vt quantum fieri potest illa reddat statuto tempore, quia sic pactus, & sub hæc conditione miles fæ militiæ tradidit: sic omnes Doctores. Adde hoc stipendium debere, etiam si iniustum exiit. Syluest. *verbo miles, num. 8. Eman. Saa. verbo bellum, num. 15.* Ex quo fit posse militem occultâ compensatione vti, si alia via stipendia obtinere non potest. Mol. *disp. 116. in princ.* Secundo fit teneri Principem relaxare omnia damna, que milites pressi necessitate patiuntur, & aliis inferunt. Solent etiam ob hæc causam propria vili pretio vendere, iniustas, & luero cessare. Item solent vicinos populos molestare, & ab eis indebita extorque, exercitum concitare, & in rebellionem prodire, & republicam periculo exponere, & alia multa quorum omnium Princeps causa iniusta est, relaxareque tenetur. Idem & de iis qui à Principe destinati sunt ad hæc stipendia militibus soluenda, si culpabiles existant, quia ad hæc iniustitiam concurrunt. Coninch. *disp. 31. dub. 7. num. 95.* Deinde peccat potest Princeps cum obligatione restituendi, si sine causa, & temerè exercitum periculo maximo exponeret. Non enim dominus est vice subditorum, sed gubernator, neque pro suo arbitratu bona illorum potest expendere, sed prout communi bono necessarium fuerit, alias non Rex, sed tyrannus erit. Valen. *d. quest. 16. p. 2. vers. item peccat.*

3 Duces vero, & ministri Principis peccant grauissimè, si plures milites representent, quam secum habeant, vt sic plura stipendia accipiant, & sibi retineant. Nam præterquam quod eâ Principe iniuste usurpiunt grauissimorum damnorum sunt causa. Nam Princeps credens tot milites adesse, non procurat alios milites submittere ad castrum defendendum, inimicisque oppugnandos, qui necessarii erant eaque de causa non solum non reportat victoriam, quam verè reportaret, sed sepe castrum ad inimicos occupatur, vel milites grauius cadunt, & reipublica, reliquæque Christiana in maximo periculo constituitur, cuiusque hostes exardescunt, & insolentiores sunt. prob dolor! Tenetur ergo duces hoc crimen committentes hæc omnia reparare, sic Mol. *d. 116. vers. solet. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 108. Bonac. disp. 2. de restit. quest. ult. sect. 1. puncto 12. §. 3. num. 27. Secundo, peccant duces, & ministri Principis, si ob negligentiam, vel ob furtum, necessaria ad bellum parantes, parent cibum, & potum, aliæque huiusmodi corrupta ex qua mors militibus prouenit, aliæque damna enumerata sequantur. Et idem est, si ob eandem causam simulent se præparasse ea, que ad bellum sunt necessaria ex voluntate Principis; cum tamen in minori quantitate præparata sint, aut si præparent ea, que victoriæ consequenda necessaria, sunt dolosa, & falsa. Molina *diuina disp. 116. vers. non dissimile. Bonac. supra.* Tertio, peccant duces transeuntibus cum suo exercitu tenentes loca vicina suspensa, neque manifestantes, quo sint destituti, vt sic accedat, & offerat, vnuquisque locus mag- nam quantitatem, ne illuc exercitus transeat, quia hæc via regnum grauarit iniuste, tum grauando populum, apud quem diueris exercitus, tum accipiendo ab aliis illam summam. Et licet ducibus concessa sit electio vnius populi præ alio, quando onus non potest in omnes æqualiter diuidi: non tamen est illis concessum, neque concedi potuit, vt hæc electionem venalem faciant, & sibi pretium retineant. Expediebat namque potius si vnus populus gra- uabatur, hospitando exercitum, reliqui ad eius leuamen concurrerent, media aliqua contributione. Mol. *disp. 116. vers. molestum. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 100. Bonac. diuina disp. 2. de restit. quest. ult. sect. 1. puncto 12. num. 27. Quarto, peccant duces signantes suos famulos in milites, & centuriones, vt stipendium à Principe lig- natum imminuant, & sibi illam partem referunt nisi comit-**

Ipios gratis ducibus donare, quod raro est credendum: Bonacina, supra.

Milites vero primo peccant contra fortitudinem, si temere, & abique vlla necessitate periculo vitæ se exponerent. At quod est probabilis spes cum proprio, vel aliquorum damno fructum copiosum esse consecuturos, laudabile erit, & actus fortitudinis se morti periculo traditur, sicuti fecerunt viri fortissimi, sic Valent. disp. 3. quest. 16. pag. 3. assert. 2. versitem peccarent. Secundo peccant milites, si stationem, & pugnam deserant, etsi adesse evidens mortis periculum, quia ad hoc munus obeundum ob bonum reipublicæ se obligarunt, & stipendia accipiunt. Tertio, tenentur defendere arces, & locum sibi demandatum, quorum spes aliqua subest resistendi. Aliis obligantur omnia damna inde provenientia reparare, & capitis pœna plectuntur, vtpote rei lætæ maiestatis. tom. 3. ff. ad leg. Jul. maiest. quod si nulla est spes se posse hostibus resistere, non tenentur mortem expectare, quia esset frustranea, inutilis, & nociua talis expectatio, & contra charitatem sibi debitam, ac proinde ad id se obligare non poterunt. Mol. disp. 116. in princ. Coninch. disp. 31. de bello dub. 7. num. 97. Quarto, peccant milites mortaliter, & contra iustitiam, si sine Ducis, aut Principis facultate castra deserant, quia sub hac obligatione sunt conducti: si enim hæc facultas discedendi libera esset, nulli militi, non posset Dux securè ad bellum procedere, cum enim existimaret sufficientem numerum habere ad pugnam, se vacuum, & inermem inueniret; eaque de causa merito pœna capitis, vel vitæ, & infamie: plectitur, sic discedens, vt tradit Gloss. cap. ius militare disp. 1. verb. deseratur. Neque Dux in concedenda hac licentia facilis esse debet, præcipuè cum miles nulli pugnae interfuit, quia inde non parum reipublicæ, & Principi damnum proveniet, qui tot sumptus fecit in milite sustentando, & alportando absque vlla utilitate. At si miles aliquibus annis suo officio facis fecit, expedit rationabilè aliqua causa intercedente, vt ei facile licentia discedendi concedatur. Nam vt bene dicit Mol. supra, hæc facultas viam aperit, vt alij se militiae dedicerent, & difficultas omnino præcluder. Quinto, peccant milites, si vltra debitum sibi stipendium aliquid accipiant: Lucae 3. Neminem conuentatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Quapropter si aliquid accipiunt præter id quod ex consuetudine iam recepta illis debitum est, peccant, & obligati sunt ea dantibus restituere, nisi manifestè constet gratis donare, quod raro est præsumendum; concedunt enim timore maioris mali. Neque excusantur ex eo quod Principes eis stipendia non soluant, quia non obinde hospites grauari sunt, excusantur tamen, si preces extrema, vel graui necessitate facerent. Repararetur autem grauis necessitas, & sufficiens, si vel periret, vel deserere castra cogentur, quod si fieri non potest sine magno sui vel reipublicæ damno. Princeps autem hæc omnia damna tenetur reparare, cum ob eius causam data sint. Sexto, peccant milites facientes sibi plures domos signari, quibus hospitentur, intendentes in vna solùm hospitari, & ab alijs pecunias recipere, ne ibi commoretur, iniustissime enim tales pecunias recipiunt, & obligati sunt eas restituere, & eandem obligationem subit, qui eis chirographa diuersa concessit, cum fuerit causa huius iurique venerationis. Vide Molinam dicta disp. 116. Coninch. disp. 32. dub. 7. et. num. 94. Bonacina disp. 2. de restit. qu. vltim. sect. 1. punct. 12. §. 3.

PUNCTUM VI.

Quæ personæ in bello pugnare possint.

- 1 Omnes pugnare possunt, nisi eis sit specialiter prohibitum.
- 2 Episcopi, clerici, monachi, seu religiosi prohibitum est propria manu pugnare.
- 3 An monachi laici, & clerici in minoribus sub hac prohibitiona continentur? Negant aliqui.
- 4 Approbatur eorum sententia in eis, qui privilegio fori non gaudent. Approbatur in iis, qui tali gaudeant privilegio.
- 5 Possunt clerici in sacris bello assistere, & ad pugnam hortari milites, consolari, &c.
- 6 Neque ad hæc officia exercenda indigent licentia sui Episcopi.
- 7 Ad se, suasque defendendas propria manu clerici pugnare possunt.
- 8 Neque obinde irregulares sunt censendi.
- 9 Solum Pontifex dispensare potest, vt clericus bello præstet, vel propria manu pugnet.
- 10 Insuper, & heretici ad bellum vocare, esto per se illicitum non sit, regulariter tamen est illicitum.
- 11 In bello iniusto nemo pugnare potest. Timore mortis aliqui excusantur.
- 12 Occurrente necessitate omni tempore pugnandum est: extra illam diuini sensus pugnari non potest.

Si bellum iustum sit, omnes in eo pugnare, adiutareque possunt, nisi eis specialiter sit prohibitum, quia exercere actionem licitam, ad illamque iurare per se laudabile est. Videamus ergo quibusnam hoc sit prohibitum, & quo iure?

1 Respondet, Episcopis clericis, & monachis, seu religiosi. Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

sis prohibitum est propria manu pugnare, vel exercitum ducere neque aliis inuenitur facta prohibitio. De monachis etiam laicis habetur expressè, cap. eos qui 20. quest. 3. De clericis cap. clericis cap. quicumque ex cler. 23. quest. 8. & aliis, sub quibus religiosi comprehendi poterant. Quod non possunt exercitum ducere, habetur cap. sententiam 9. ne clerici, vel monachi. Congruentia prohibitionis; quia clerici, & religiosi dicuntur Deo seruire, à qua professione secularis pugna multum reuocat. Item clerici sunt ministri Christi, ipsamque representant, qui proprium sanguinem pro aliorum salute effudit. Ergo non licet alienum effundere. Hæc autem prohibitio iure positio facta grauis est, & ad culpam lethalem obligat clericos in sacris constitutos quod satis indicant grauissima pœna clericis pugnantibus imposita. Priuantur namque vsu suorum ordinum; recluduntur in monasterio, & si in bello moriantur, pro illis non offertur sacrificium & oblatio, vt constat ex allegatis textibus. Peccant ergo mortaliter, & ita tradunt ferè omnes Doctores etiam de constitutis in ordine subdiaconatus D. Thom. 2. 2. qu. 40. art. 2. & ibi Caiet. Syluest. verbo bellum 3. qu. 1. Couarruu. Clem. si furiosus 2. pag. §. 3. num. 2. Valent. disp. 3. quest. 16. 4. in princ. Bonac. disp. 2. de rest. quest. vlt. sect. 1. 12. §. 4. Suar. de bello disp. 13. sect. 3. num. 5. Molin. de iust. traç. 3. disp. 108. circa fin. vers. secundum est, Coninch. disp. 31. dub. 6. n. 86. & alij.

3 Sed difficultas est, an monachi laici, & clerici in minoribus ordinibus constituti hac prohibitione rigorosa continentur?

Negant Couarruu. & Bonac. supra, & Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 51. num. 12. Et mouentur, quia consuetudine receptum est hos canones ad illos non extendi: quare dicit Couarruu. de clericis eodem modo ac laicos pugnare posse: consentit Franciscus Suarez nisi habeant beneficium Ecclesiasticum, quia tunc ratione beneficii ad altiore ordinem aspirare debent, aut saltem debent impedimentum non apponere.

4 Ceterum sententia Molinæ in hac parte mihi magis probatur, quam etiam approbat Coninch. num. 87. Affirmat namque clericum in minoribus constitutum privilegio fori non gaudentem, ad bellum procedere posse æquè ac laicum, quia tantum laicus reputatur. Neque canones aduersus illum procedunt, saltem ex consuetudine recepta. Si autem privilegio fori gaudet, peccat, quia cum ex officio deputatus sit Ecclesiæ seruire, indecens est ad militiam se transferre. Non autem videtur hæc grauis culpa, quia longè est à ministerio altaris, & representatione Christi, ob cuius causam prohibitio facta est. Quod etiam de beneficiario in minoribus constituto dicendum credo, peccare, inquam, tantum venialiter, sed grauius tunc quia nullus text. specialiter de eo loquitur; tum quia beneficium eius exercendum, casu quo retinere illud velis. At potes procedere ad bellum animo relinquendi beneficium, si impedimentum irregularitatis in bello contrahas. Ergo ex beneficio non videris mortaliter peccare. De Religiosis laicis maior est dubitatio, an peccatum mortale committant, si ad bellum procedant, quia cap. eos qui 20. quest. 3. mandantur excommunicari, quod non ferret, nisi graue esset peccatum. Sed dicendum est non obinde præcisè excommunicari, sed quia apostatando à religione se militia, & publicis honoribus tradiderunt. Quocirca ex processu ac bellum solum venialiter existimo peccaturos, grauius tamen quam beneficiarios clericos.

Dixi non posse clericos in sacris constitutos propriis manu pugnare, vel exercitum ducere, aut pugnantibus, percutientibusque præesse, vt inde colligeres posse bello interesse; vt subsidia spiritualia ministrent, milites consolentur, & ad pugnam excitent, modò non excitent specialiter, & expressè ad occisionem, & mutilationem inimicorum; quia hæc officia aliena non sunt à clerici statu, & ita tradunt Couarruu. Coninch. Bonac. Valent. Suar. & alij supra, & constat ex cap. omni timore, cap. hortari, cap. prætere, & alij 2. 3. quest. 8. Neque obstat text. in cap. quod in dubio, de pœnis, vbi Innocent. III. eodem modo deponi mandat eos sacerdotem, qui gubernant naues ad pugnam, & personam exercet confictam, quam eos, qui alios incitant ad pugnandum. Non, inquam, obstat, quia, vt bene dicit glossa, loquitur text. de bello iniusto, non iusto, argum. cap. sic dignum, §. quæ uerò de homicid. & l. item. Mela, §. item cum in ad l. Aquil.

6 Vt autem clerici hoc officium exerceant, non indigent speciali licentia sui Prælati, quia nullo iure cauetur hanc illis esse necessariam. Nam text. in cap. reprehensibile, & cap. quo ausu 23. quest. 8. qui ad hoc probandum adducuntur, non conuincunt. Nam in cap. reprehensibile, reprehenduntur Episcopi, non quia ad bellum ob consolandos milites, eosque ad pugnam hortandos sine licentia profecti fuerint, sed quia ibi sicut reliqui milites pugnaverint: & quia hac occasione impedit non venerint ad Concilium, quod Summus Pontifex Romæ congregauit. Text. verò in cap. quo ausu, non de professione ad bellum, sed ad Imperatoris Ecclesiam loquitur, & grauius reprehenditur à Pontifice Episcopus, qui eius mandatum contemnit ob Imperatoris iussa exequenda præcipuè, cum canones euidenter præcipiant nullum omnino Episcoporum, qui Leuitica portione sunt contenti, nisi Summo Pontifice viso, atque consulto ad comitatum, hoc est, ad Imperialem aulam debere contendere.



7 Verum virgite necessitate possunt clerici in sacris constituti, & religio propria manu pugnare, & occidere, verbi gratia, ad se, ubique defendendos, quia lex Ecclesiastica prohibere non debet, quod iure naturali conceditur, & a fortiori possunt pro patria, & bono communi republicae, & fidei pugnare, si aliter in periculo graui haec constituantur, ac denique pugnare possunt pro victoria obtinenda, a qua pax reipublicae, fideique progressus non leuiter pendet: imò in iis casibus non solum possunt, sed tenentur pugnare. Non enim lex Ecclesiastica aduersari poterat legi naturali, sed potius illam perficit, sicut gratia perficit naturam: & ita tradunt communiter Doctores. Mol. disp. 108. post medium vers. sunt verò. Valentian. disput. 3. quæst. 16. punct. 4. vers. secundo. & seq. Bonac. disp. 2. de restit. quæst. vlt. sect. 1. punct. 12. §. 4. Suarez de bello disp. 13. sect. 3. numer. 9. Coninch. disput. 31. dub. 6. num. 91. & alij apud ipsos.

8 An verò in huiusmodi casibus aliquam irregularitatem contrahant clerici pugnantes? Dixi in tractatu de irregularitate, non contrahere, & tradit alijs relatis Coninch. de sacrament. disp. 18. num. 88. 89. & 97. & disp. 51. de bello. dub. 6. num. 91. Conuaruu. clement. si furiosus. 2. part. 3. num. 2. & §. 4. numer. 9 & 3. part. §. unic. num. 5. Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 16. punct. 4. circa fin. vers. sed contraria sententia Suarez disp. 13. de bello. sect. 3. num. 6. 7. & alij.

9 Sed inquirens. Qui potest dispensare, vt clericus in sacris propria manu pugnet, vel pugnantis praesit? Respondeo solum Pontificem, quia in lege superioris nequit inferior, nisi ex superioris commissione. At nullum vestigium huius commissionis inuenimus datam Episcopis. Ergo nequeunt in hac dispensatione se introumittere: & ita tradit Bannes 2. 2. quæst. 40. art. 2. dub. 2. Azor. 3. part. lib. 2. cap. 16. Bonacin. disp. 2. de restit. quæst. vlt. sect. 1. punct. 12. num. 29. §. 4.

10 Rursus alia sunt personae, quae ob eorum malitiam dubitari potest, an sint exclusae à bello iusto Christianorum: ij sunt infideles, cum enim ex eorum consortio grauissima mala reipublicae proueniant, merito excludendi sunt à bello aduersus Christianos facto. Nam licet per se illicitum non sit hos infideles in tui adiutorium, & defensionem vocare, per accidens tamen regulariter est illicitum: assumunt enim inde occasionem profanandi sacra, destruendi templa, violandi virgines, & alia innumera flagitia committendi, ob quae Princeps catholicus quoad fieri potest, eos vitare debet. Et multò fortius debet se abstinere à praestando iis infidelibus adiutorium, cum aduersus catholicos pugnant, etiam si ex parte infidelium videatur bellum esse iustum, quia bonum religionis omnibus alijs praeferrì debet: in iis consentiunt, Doctores Reginald. tom. 2. prax. lib. 21. num. 100. Rodriguez 1. part. sum. 126. nu. 2. Mol. tract. 2. de iust. disput. 112. sine Regid. de Coninch. disp. 31. de bello, dub. 7. num. 102. Bonac. disp. 2. de restit. quæst. vlt. sect. 1. part. 1. §. 2. nu. 6. Suarez de bello disp. 13. sect. 7. sine. num. 25.

11 Hucusque de pugnantibus in bello iusto dictum est, at si bellum iniustum sit, clarum est neminem pugnare posse, & omnia damna facta, pro viribus reparanda esse. Solum est dubium de iis, qui pugnant ob merum mortis, amissionis membrorum aut alterius similis damni, quales sunt captiui in nauibus Turcarum remigantes: an ratione huius metus à culpa, & obligatione restituendi excusentur? sed de iis disput. seq. de scàmulo latius dicetur.

12 Restat dicendum, quo tempore pugnandum est? Respondeo occurrente necessitate omni tempore. Extra necessitatem probabilis est die festo pugnari non posse, quia est opus seruilis, vt dixi, cum de obseruatione festorum egi. Ab Aduentu autem usque ad Octauam Epiphaniae, & à Septuagesima usque ad Octauam Paschae prohibetur praeratio ab Alex. III. in cap. treugas, de treuga & pace, sub grauibz pœnis, & comminatione excommunicationis. Verum hoc praecceptum receptum non fuit, vt testatur glossa ibi, & tradit Valent. 2. 2. disp. 3. quæst. 16. part. 5. sine. Suarez disp. 13. de bello, sect. 7. num. 24.

PUNCTVM VII.

De quibusdam bellis particularibus iniustis, scilicet seditione, rixa, & duello.

- 1 Quid sit seditio.
- 2 Proponitur quadam obiectio, vt clarior seditionis definitio conueniat, & sit illi satis.
- 3 Rixa, seu duellum, quid sit, exponitur.
- 4 Enumerantur causae, ob quas suscipi potest duellum, & dubitatur an sint sufficientes ad illud honestandum?
- 5 Ostentare vires, & voluntatem spectantibus causare, insufficientis causa est.
- 6 Veritatem aliquam duello firmare non solum illicitum, sed superstitiosum est.
- 7 Vindicatio propria iniuria illicita est per duellum.
- 8 Defensio honoris proprii, quem videris amittere, si oblatum duellum respuas, non est censenda sufficientis causa honestandi duellum.

- 9 Si aliquis tibi minatur mortem, vel grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi duellum acceptes, acceptare illud potes.
- 10 Excipe, nisi cum aliquo innocente proceret, vt pugnes.
- 11 Ad euitandam mortem, ad quam es condemnatus, an licitè possis duellum acceptare? Tenent aliqui, & quibus defendant.
- 12 Contrarium tenendum est.
- 13 Si minoris de iniusta accusatione, nisi duellum acceptes cum accusatore poteris acceptare.
- 14 In defensionem diuini honoris aliquando admitti potest duellum.
- 15 Ob terminandum bellum, licitum est admittere duellum ex parte iuste bellantis.
- 16 Licitum est in hoc casu obligare mulieres, no pugnantis succurrant.
- 17 Enumerantur poena impositae duellantibus absque causa legitima.
- 18 Non prohibetur sub praedictis censuris qualibet pugna, sed pugna ex condito loco, & tempore determinata.
- 19 Excommunicatio, quam duellantes incurrunt, est res creata virtute Trident. Absoluti possunt ab Episcopo, si ocautum sit duellum; virtute Cruciat, etiam si publicum sit semel in vita, & semel in morte.
- 20 Quae causa excuset Principem ab hac excommunicatione incurrenda, ex eo quod duellum permittat.
- 21 Reliqua poena praeter excommunicationem, suspensionem, & interdictum inuident declaratione iudicis vt incurrantur.

1. Seditio est bellum aggressiuum vnius partis reipublicae aduersus aliam, vel aduersus suum Principem. Haec semper est illicita, vt pote paci, & iustitiae contraria: cum enim nulla pars reipublicae auctoritatem habeat indiendi bellum, sed haec residet in Principe, seu reipublica perfecta, fit sanè contra charitatem, & iustitiam procedere illam Reipublicae partem, quae hoc bellum mouet.

2 Dices: Contingere potest, quod vna pars reipublicae aliam interfecerit, iniuriòsque sit, & Princeps rogatus non impediat. Poterit ergo tunc ciuitas offensa offendentem debellare? Item potest Princeps non Rex, sed tyrannus esse, sed mouere bellum aduersus tyrannum cuiuslibet reipublicae parti licet. Ergo non est dicenda seditio bellum vnius partis reipublicae aduersus aliam, neque aduersus Principem?

Facilis est horum solutio. Notanter enim dixi, seditionem esse bellum non quodcumque, sed aggressiuum, vt inde colligeres, si pars aliqua reipublicae bellum moueat, quatenus ad sui defensionem necessarium est, & non aliter, non seditionis procedete, sicut nec qualibet persona particularis seditionem committit, cum se ad inuadente defendit, potius namque ex parte inuadentis fiat seditio, Eodem modo respondendum est ad confirmationem. Duplicitè enim Rex tyrannus esse potest. Primo, quia regnum iure sibi non debitum usurpauit. Secundo, quoad regimen, quia in illo iniuriòs procedit. Si tyrannus est, primo modo tota reipublica, & quilibet eius pars expellere eum à possessione potest. Tunc enim non mouet bellum aduersus suum Principem, & Dominum, sed aduersus latronem dominium usurpantem, ipsèque factus Rex est, qui seditionem committit, & illius est causa. Nam ex parte illum debellantium solium est defensio. Si autem Rex secundo modo tantum tyrannus existat, tunc patientes iniuriam se bello tantum defensiuo munie possunt, non tamen illis licitum est suum Principem, vt vere dominum aggredi, aliam seditionem, & rebellionem proprie committerent. Tota autem reipublica illum regno priuare potest, si in eius perniciem gubernaret, quia rex à reipublica auctoritatem accepit in adificationem reipublicae, non in eius destructionem, sic optime Suarez disp. 13. de bello, sect. 8.

3 Rixa est priuatum bellum, priuatique auctoritate assumptum, quo vnus alterum laedere conatur. Ex parte inuadentis est per se peccatum morale, nisi leuitas materiae excuset, vt in pueris rixantibus, sic D. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 1. & omnia. Haec rixa, seu priuatum bellum quid commune est ad duellum, & ad diffidationem. Duellum vocatur rixa, seu pugna duorum ex condito, publicis quibusdam conditionibus interpositis. Diffidatio dicitur pugna, quae sine his conditionibus, ex conuentione tamen partium assumitur, quaeque vocatur priuatum duellum. Videndum ergo est, an hoc duellum, siue publicum, siue priuatum licitum aliquando sit?

Decisio huius difficultatis pendet ex causa, quae ad duellum suscipiendum occurrere potest. Nam si nulla inueniatur legitima, duellum semper erit illicitum, si tamen aliqua legitima inueniatur, tunc licet duellum sicut bellum, licet legitima causa intercedentes, si causa deficiat.

4 Octo ergo causae occurrere possunt ad suscipiendum duellum, de quibus Doctores dubitant, an sint legitima? Prima est, vana ostentatio virtutum, acquisitiòque nominis, & honoris viri robusti. Secunda, causare volupratem spectantibus, illisque se gratum praebere. Tertia terminatio alicuius litis ciuilibis, vel criminalis. Quarta, vindicatio iniuriae factae, illiusque reparatio. Quinta, defensio proprii honoris, quem videris amittere, si oblatum duellum respuas. Sexta, periculum vitae honoris, vel bonorum fortunae, quod necessario subire debes, nisi duellum acceptes. Septima, defensio diuini honoris, quem alius blasphemis, &

professionibus, aliisque peccatis lædere intendit, nisi duellum acceptet. Octava, terminatio belli inter hostes, & resolutio illius in duellum.

5 Prima, & secunda causa ab omnibus insufficientes iudicantur ad honestandum duellum, cum enim in illo evidens periculum vitæ, tam propria, quam alienæ insit, neque ob finem ita licitum suscipi. Unde & bellicum exercitium mortale peccatum est, si cum evidenti periculo vitæ suscipiatur, & in illo morientes Ecclesiastica priuantur sepultura, cap. 1. de Torneam. sic expressè Caiet. 2. q. 95. art. 8. circa solut. ad 33. in secunda causa, & in fine. verbo duellum. Nauarra cap. 15. fine. Valentia 2. 2. disputat. 3. quæst. 17. punct. 1. in causa quinta, & sexta. Suarez disp. 13. de bello, lib. 2. n. 1. Coninch. disp. 32. dub. 2. n. 5. Petr. Nauarra lib. 2. de resist. c. 3. in 2. part. dub. 13. n. 296. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 39. num. 12.

6 Tertia causa est, ob quam propriè dicitur duellum, cum enim inter aliquos controversia esset, neque sufficienter veritas ostenderetur, resoluebatur lis in duellum, ut is qui victor in eo cadebat, reputaretur verum dicere, qui vero succumbere, falsum. Duellum ergo assumptum ex hac causa non solum illicitum, sed superfluum est, & vt tale damnatum, cap. 1. & 2. de purgat. vulg. & cap. Monomachiam. 2. quæst. 5. Est enim mendacium omnino inefficax, & improportionatum ad veritatem indagandam. Neque enim Deus victoriam promittit daturus innocentibus: neque iustum est eam ab illo sperare medio ita in debito; & atroc. Caietanus, Suarez, & Nauarra supra. Coninchus num. 13. Sanchez num. 3. Valent. dist. punct. 1. vers. Nec tertio: & alij plures.

7 Quarta causa, quæ est vindicatio iniuriæ factæ, illiusque reparatio, etiam insufficientis iudicatur ab omnibus supradictis Doctoribus ad honestandum duellum. Quia nemini particulari licet ob vindicandam propriam iniuriam alterum occidere. Ergo nec procurare: ad hoc enim officium Principis est constitutum. Adde huiusmodi effectus non certo per duellum obtinetur, cum sæpè qui putatur victurus, succumbat.

8 Quinta, aliquibus videtur sufficiens, vt licitè suscipiatur duellum; cum enim respuentes duellum ignavi, & timidi reputantur, neque possint absque robore coram sociis comparere, quia eis non creditur respuisse ob vitandam Dei offensam, sed solum ob timorem: sit sanè grauem inde iacturam honoris pati. Ergo vt hanc euitent, poterunt duellum admittere. Hæc enim ratio vt nobilis non tenetur fugere aggressentem, et si possit (vt communiter fert sententia) quia fuga illi est ignominiosa: Ergo similiter provocatus ad duellum non tenetur respuere, quia talis tepalua illi est ignominiosa? Ad dicendum omnino est, ex hac causa nullo modo honestari duellum posse: sic Caiet. art. 8. circa solut. ad 4. Suarez, 5. Sanchez, n. 9. Valen. punct. 1. vers. nec secundo. Nauarra lib. 2. n. 286. Coninch. disp. 32. dub. 2. n. 8. & alij apud ipsos. Ratio est, quia tibi illicitum est mortem alteri infligere, illamque procurare nisi in tui defensionem. At illa acceptatio duelli non est defensio tui honoris, non enim datur defensio, vbi non est aggressio: At inuitans ad duellum non aggressor tuum honorem, potius enim ex repulsa duelli, quam ex eius inuentione amissionem honoris sequatur. Neque ipse cogit ad pugnam, sed suadet. Vbi ergo tibi inferatur vis, quam possis repellere? Nullibi certè. Secus vero est de viro nobili, quem alius aggressor: tunc enim in aggressione patitur vim, quam non tenetur fuga sibi ignominiosa declinare, sed occasione poterit auertere.

9 Sexta causa, quæ est periculum vitæ, honoris, & fortunæ, magis est controversia inter doctores. Aliqui enim illam sufficienter iudicant ad honestandum duellum. Alij negant. Alij distinguunt inter periculum vitæ, & honoris, fortunæque, & dicunt periculum vitæ sufficere ad acceptandum duellum, secus periculum aliarum rerum. Vt ergo cum distinctione procedamus; proponendi sunt casus, in quibus hoc periculum necessarè quis subire potest, & offerretur duellum ad illius euasione. Primo, si iniuriæ tibi aliquis mortem, aut falsum testimonium, aut grauem iacturam diuitiarum, nisi duellum cum illo acceptes, & credas sine dubio tibi illud malum inferendum esse recusat duello; in hoc casu tibi licitum est duellum acceptare, imò ad illud inuitare, quia non inuitas ad malum, sed ad minus malum; neque enim legis periculum mortis absolutè, sed certum periculum mortis, infamiae, amissionem bonorum commutas in periculum dubium, & incertum. sic Sanchez lib. 2. cap. 39. num. 8. Valent. 2. 2. disputat. 3. quæst. 17. punct. 1. vers. talis autem casus. Coninch. disp. 32. dub. 2. n. 4. in septimo casu, & n. 17. & clarè Lelius lib. 2. iust. c. 9. dub. 8. n. 49.

10 Quod si hic iniustus aggressor tuæ vitæ, honoris, vel diuitiarum, vellet duellum iniri non secum, sed cum alio tertio innocente. Maior est difficultas, an posses cum illo tertio pugnare, vt ab iniusta vexatione te liberet? Et ratio difficultatis est, quia tibi concessum est prouidere tuæ vitæ, cum iactura proximi, præcipue cum talis iactura non sit intenta, sed permilla, & ita vt probabile sentit Valentia 2. 2. disputat. 3. quæst. 17. punct. 1. paulo post principium vers. ponunt etiam, & absolutè Caiet. 2. 2. quæst. 95. artic. 8. circa solut. ad 3. Sanchez lib. 1. in Decal. c. 39. num. 4. Nauarra lib. 2. de resist. cap. 3. in 2. part. dub. 13. num. 295. Tolet. lib. 3. sum. cap. 6. n. 31. Ad dicendum est nequaquam tibi licere. Non enim

For. de Castro Sum. Mor. Pars 1.

licer tibi directè innocentem interimere, vt vitam conferues. Ergo si ille tertius te non aggreditur, non licet tibi illum impetere eiusque mortem procurare: quod maxime procedit, quando ipse coactus duellum amitteret. Neque te excusare potes, affirmant, aggressorem medio illo tertio innocente te impetere, quia ille tertius non impedit, sed potius tu illum impedis, & aggresseris. Nequis ergo id prætare, vt damnus euites: & ita tenet Syluest. alios referens verbo duellum, quæst. 2. D. Anton. 3. part. tit. 4. cap. ult. §. ult. Tabiena. verbo duellum q. 3. n. 4. Armilla ibi. n. 5. Henric. quodlib. 5. q. 32. Abulen. 1. Reg. c. 17. q. ult.

11 Secundus casus est, cum inique es accusatus, & condemnatus, vel credis certo esse condemnandum, & offertur tibi duellum ab accusatore, vel iudice, si velis ad condemnationem liberari.

In hoc Nauarra cap. 11. n. 39. & cap. 15. num. 9. Sanch. lib. 2. c. 39. n. 8. Coninch. disp. 32. dub. 2. n. 17. Petr. Nauarra. supra. num. 289. Mol. tract. 3. de iust. disp. 17. num. 7. & Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 8. nu. 47. existimant te licitè acceptare posse duellum ad euitandam condemnationem mortis, mutilationis membrorum, infamiam, grauemque fortunarum iacturam. Probat, quia tibi licitum est occidere eum, qui tuam vitam, honorem, vel diuitias aggreditur, à cuius aggressione nequis alia via liberari: sed huiusmodi accusator iniquis testibus tuam vitam, honorem, & diuitias aggreditur. Ergo potes illum duello perimere, cum non suppetat tibi alia via euadendi periculum, nisi interficiendo infectantem, videris posse interficere, quia est iusta defensio. Ergo sic dicendum in nostro casu. Ex hoc inferunt Coninch. Petr. Nauarra, Sanch. Mol. & alij apud ipsos, non solum licitum esse acceptare duellum, vel illud indicere ad hanc iniuriam propulsandam, sed te posse occidere calumniatorem occidere, si alia via non suppetit euadendi periculum, quia illa non est occisio, sed defensio: imò Nauarra dicto lib. 2. de resist. c. 3. dub. 13. n. 290. & Sanch. dicto c. 39. n. 8. fine, affirmat te obligatum esse non acceptare duellum, si calumniatorem secretè interimere potes, quia nec te exponis periculo vitæ, & ab alio tollis occasionem committendi nouum peccatum, duellum acceptando, vel offerendo.

Caietan. vero 2. 2. q. 65. art. 8. ad 3. in 4. causa, limitat supradictam doctrinam, vt procedat si duellum iniur ex consensu Principis, quia aliàs non videtur concedendum. Secundò, limitat, vt procedat in causa criminali, non in ciuili, quia defensio armata solum licet, cum alius te armis oppugnat. In causa criminali accusator iniustus te oppugnat armis, & gladio iudicis: in causa autem ciuili nulla sunt arma; quia nulla est tibi condemnatio ad mortem, neque mutilationem, cui dicendi modo adhæret Valen. 2. 2. disp. 3. q. 17. part. 1. vers. est autem assertio, & vers. talis autem casus. Nauarra. cap. 11. n. 39. & c. 15. n. 9.

12 Ceterum dicendum existimò primo, nec posse Principem in supradicto casu offerre tibi duellum, neque te posse illud acceptare: sic Abulen. 1. Reg. c. 17. q. ult. Solon. 2. 2. q. 64. art. 3. controu. 3. Suarez de bello. disp. 13. sect. ult. a. num. 5. Probo. Nam, vel tu es dignus condemnatione secundum allegata, & probata, vel non? Si dignus es condemnatione, et si nullam tibi irrogat iniuriam Princeps, condemnationem debitam in duellum commutans; at grauem irrogat accusatori, quocum duellum inire debet, cum absque causa legitima probata, illum manifesto vitæ periculo permittat exponi. Quod si accusator in illud periculum libere consentiat, et si Princeps iniurius non sit, est tamen reipublicæ, cuius administrationem gerit; cum absque causa publica, & legitimo periculo vitæ permittat exponi sibi subditum. Si vero dignus non es condemnatione, & nihilominus iudex te vult condemnare, & offert duellum loco condemnationis, adhuc existimò te non posse illud acceptare, nisi forte ille, quocum duellum inendum est, sit dignus condemnatione, & in duellum eius condemnatio commutetur, vel te ipsum aggrediatur. Nam extra hos casus iniuste illum oppugnas, illumque perimere intendis ob conseruationem tuæ vitæ: licet enim in aliquo casu tibi permittitur sit innocenter occidere, vt vitam conferues; debet esse casus, ex quo sequatur tibi occisio per accidens ad tuam actionem, vt contingit, cum fugis inimicum, in medio itinere est innocens constitutus, quem perimere debes, si cursum prosequeris, vel cum arcem oppugnas, in qua innocens refidet; in his enim licita est innocenti occisio, quia ad pugnam, & fugam necessariam per accidens sequitur: vt bene probat Lessius li. 2. c. 9. dub. 8. n. 57. At acceptatio, vel indicio duelli per se inferunt periculum occisionis. Neque ergo hæc libere fieri contra innocentem.

13 Secundo dico, si duellum oblarum sic tibi ab accusatore iniustus, & promittit se cessaturum ab iniqua actione, & admittis, secus si respuis. Videris posse illud admittere, quia neque ipsi irrogas iniuriam occidendo, cum ipse se tali periculo exposueris, neque tu male facis periculum tale suscipiens, cuiusque occasionem procurans, cum in defensionem propriam, & ad vitandam iniuriam facias. Et confirmo. Si aliquis iniuste aggrederetur te in famam in platea de graui crimine, neque alia via vellet destitit, nisi duellum admitteres, vel offerres. Posses quidem illud admittere, & offerre, vt honorem defenderes, & à calumnia te liberares. Ergo à fortiori poteris, cum apud iudicem te in famam intendit, cum hæc infamatio magis publica sit, & grauioris damni periculo exposita. Quod si dicas, tibi non licere alium occidere, nisi in defensionem. In præfenti autem casu

R. 2 non

non videris te defendere ab accusatore, sed potius illum aggredi, quia accusator non aggreditur armis, sed lingua; & calumnia: lingua autem non videtur coherenda; neque calumnia diluenda armis, sed testibus, & rationibus? Respondeo, si testibus, & rationibus coherere non potest, & dissolvi calumnia, armis fieri potest, quia à natura concessum est illis mediis uti, quæ ad propulandam injuriam necessaria fuerint. sic P. Nauarr. Mol. Lessius, Coninch. *Sanch. supra.*

Neque approbo dictum Petri Navarrae, & Sanchez, nempe te esse obligatum occidere calumniatorem, si occulte potes non admisso duello, quia ex occulta occasione calumniatoris inferitur eius perpetua condemnatio, quam foris in duello pugnantis evitabit, ut bene dicit Coninch. *disp. 32. dub. 2. n. 20.*

14. Septima causa, ob quam videtur admitti posse duellum, est in defensionem divini honoris, si aliis à peccatis desistere non vult, nisi cum illo duellum ineas. Sed distinguenda sunt peccata, alia quæ cedunt in injuriam proximi, boni communis, & religionis, alia quæ solum peccanti nocent. Ob peccata: quæ solum nocent peccanti, clarum est te non posse duellum admittere. Ob peccata verò, quæ cedunt in injuriam gravem proximi, & boni communis, & religionis, poteris præcipue auctoritate Principis duellum admittere, si alia via tibi non suppetit defensionis, quia ob hanc rationem licet tibi injuriantem occideres, quis enim negare poterit te non posse hæreticum occidere, si à conculcatione Sacramenti, & profanatione rerum sacrarum desistere non vult? Defendis enim tunc divinum honorem.

15. Octava causa est terminatio belli inter hostes, & resolutio illius in duellum, & hanc esse causam sufficientem honestandi duellum ex parte illius Principis, qui iustum bellum gerit, nullus dubitare potest, servata tamen hac conditione, ut non trahat victoriam ad statum magis dubium, quam per bellum. Nam posita hac conditione vicantur plures cædes, pluraque damna utrinque contingentia in bello, & omnia reducuntur ad paucos. Secus verò esset si spes victoriæ minueretur: grauis enim peccaret Princeps, aduersus suam reipublicam, certam victoriam, quam per bellum haberet, in incertam duelli commutans, peccaretque item aduersus duellantes, cum eos periculo interitus exponeret absque causa legitima. Item licet Principi acceptare, & indicare bellum ad debilitandos hostium animos, & roborandos propriorum militum, quando id videt esse sibi ad bellum necessarium, quia est pars belli, & ad victoriam consequendam sæpe conueniens, ac proinde ex eisdem conditionibus, quibus honestatur bellum, & ipsum duellum tunc honestatur. Sic Suarez *disp. 13. de bello, sect. ult. num. 9.* Sanchez *lib. 2. c. 39. num. 15. & 16.* Valent. 2.2. *disp. 3. quest. 17. punct. 1. vers. ratio autem casus* Petrus Nauarr. *lib. 2. c. 3. in 2. part. ant. 13. num. 294.* Coninch. *disp. 32. dub. 2. num. 28.*

16. Quod si inquiras, an in hoc casu liceat militibus, & Principi se obligare ad non succurrendum sociis, si succumbant? Respondeo licere, quia aliquando licitum est, & permissum te obligare abstinere ab auxilio ferendo periclitanti, si illud præstare non potes absque graui damno proprio, vel boni communis. Cum ergo in præsentem non possint milites defendere socios, nisi violent fidem datam, totumque exercitum periculo exponant, sit sane cessare posse ab hac defensione, & ita Sanchez notauit *lib. 2. in Decal. c. 39. nu. 17.* Suarez *disp. 13. de bello, sect. ult. sine. Coninch. disp. 32. dub. 2. n. 28.*

17. Sed inquires, quæ pœnæ sint impostæ duellantibus absque causa legitima? Respondeo varias pœnas esse impostas à Concilio Tridentino, & a Rege, siue Imperatore, qui locum ad Monachiam in terris suis inter Christianos concesserint, fertur excommunicatio, & iurisdicção, & dominio civitatis, castri, aut loci ab Ecclesia obtenti, in quo, vel apud quem duellum fieri permittitur, priuantur, et si feudalia sint, directis dominis statim acquiritur. Secundò aduersus pugnam committentes, eorumque patrinos fertur excommunicatio, & pœna confiscationis bonorum, ac infamiae perpetuae, & ut homicidæ mandantur puniri, & si decederint in ipso conflictu, careant Ecclesiastica sepultura. Tertio, aduersus eos, qui consilium in causa duelli dederint, aut alia quacunq; ratione ad id quemque suaserint fertur excommunicatio. Gregor. verò XII. in sua constit. quæ est 82. in ordine, incipiente, *ad tollendum detestabilem duellorum usum*, extendit supradictas pœnas, ut locum habeant in duellis priuatis, hoc est, in loco priuato, & non tuto commissis, & absque patrino, sociisve ad id vocatis, ac sine prouocatoris litteris, & cartellis, & etiam si duellantes duellum, seu pugnam non perfecterint, si per ipsos non fuerit, quominus dictum duellum perfectum non fuerit. Insuper Clemens VIII. anno 1592. Kalend. 17. Septemb. prædictam constitutionem Greg. XII. pluribus aliis modis extendit, & excommunicationis absolutionem sibi referuat. Quas omnes constitutiones bene explicat Cenedo *ad decreta, collect. 117.* P. Casallos *tract. de omni genere homicidij, art. 76.* Valent. Reginald. *prax. lib. 2. c. 7. art. 73.* Sanchez *lib. 2. cap. 39. art. 2. n. 19.* August. Barbosa *in remiss. Concilij & de prest. Episc. 3. part. alleg. 30. n. 20.* & alij apud ipsos.

18. Primum, & præcipuum, quod in illis obseruari debet, est, non prohiberi sub prædictis censuris quamlibet pugnam, sed pu-

gnam ex condito loco, & tempore determinato. Quocirca si aliquis accepta iniuria, & calore itacunde pronouet offendentem statim ad pugnam, non dicitur commisisse duellum, quia non fuit pugna ex condito, ut bene probat Farinae. ex verbis Bullæ *lib. 3. conf. 9. n. 33.* Sanchez *n. 28.* Secus verò dicendum esset, si accepta iniuria diceret offendenti: Exeamus hinc, scilicet ex platea, ubi sunt multi, qui nos impedire possunt, & camus in agrum, & pugnabimus; tunc enim illa pugna iam est ex condito, hoc est, ex pacto, & conuentione, loco, & tempore signato, ac proinde subiecta pœnis supradictæ bullæ Clementis VIII. Idem est, si diceret inermi: Vade, assume arma, hic te expecto: quia iam signat locum & tempus presertim. Sanch. *loc. cit.*

19. Secundò, aduerte excommunicationem, quam duellantes, eorumque socij, & patrino, & Principes concedentes locum, seu non impedientes, cum possint, & quicunque alij ad id auxilium, vel consilium præstantes incurunt, esse Pontifici referuatam, ex bulla Clementis VIII. At poterit Episcopus ab ea absolueret virtute Trident. si duellum oculum sit, quia non intelligitur ex supradicta bulla hoc Trident. decretum abrogatum, sic Sanchez *lib. 2. c. 30. n. 27.* Bonac. *de cens. disp. 2. q. 6. punct. 2. nu. 15.* Barbosa *3. part. alleg. 30. num. 12. o. sine.* Item virtute bullæ Cruciatæ poterit Confessarius electus ab hac excommunicatione semel in vita, & semel in morte absolueret, quia excludit hæresim, omnes alijæ censuræ conceduntur. Neque est verisimile, velle Pontificem supradictum privilegium limitare: sic Sanchez *supra.*

20. Tertio, aduerte excusati à supradicta excommunicatione lata in Trident. & aliis decretis Pontificiis, Principem Christianum, qui locum infidelibus concedere ad duellum, quia Trid. expresse dixit, *inter Christianos*, sic relato Delcio affirmat Sanchez *num. 29.* Barbosa *in remiss. Concilij*, Secus verò affirmat, si Christiano pugnaturo cum infidelibus in suo regno locum Princeps concederet. Secundò, excusatur princeps à supradicta excommunicatione, & pœnis, si iustam habeat causam permitendi duellum, quia cum illa permissio licita sit, non potest pœna puniri. Posse tamen aliquando adesse causam, quæ hanc honestet permissionem, non videtur posse dubitari, cum sæpe occurrat occasio permitendi aliqua mala, vt maiora euentur. Tertio, excusatur à supradicta excommunicatione, & pœnis casu spectantes duellum, quia foris illæ transibant, quia in bulla Greg. XIII. expostulantur, vt ex proposito spectent, alias hac visione non videntur ad pugnam incitare. Sanchez *num. 31.* Quarto, excusatur comitantes pugnaturos, si animo impediendi pugnam comitentur, quia ij dici non possunt socij illorum esse, sed aduersarij, neque auxilium illis præbere, sed impedimentum. Adde talem comitarum laudabilem esse, & fore ex obligatione suscipiendum. Ergo pœna affici non debet, sed præmio. Sanchez.

21. Quarto, aduerte cum eodem Sanchez, *num. 32.* aliquas pœnas, præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, relatas in supradicto decreto Tridentino, & bullis Pontificum indigere sententia iudicis saltem declaratoria criminis, vt incurrantur. Quod est infamia, profcissione bonorum, amissioneque loci, in quo duellum committitur, est eorum, cum priuenter iure acquisito. Et idem est ob eandem rationem de inhabilitate ad beneficia obtenta. At de inhabilitate ad beneficia, & officia obtinenta probabile reputat cum Mol. & Nauarr. similiter indigere sententia iudicis, quia non est vili receptum absque illa incurri.



DISPUTATIO VI.

De scandalo Charitati contrario.

RAVISSIMA est hæc disputatio, & multum necessaria ad regulandas humanas actiones, sed vt distinctè procedamus. Videndum est primò, quid sit scandalum, & aduersus quam virtutem procedat. Secundò, quæ actiones ratione scandali illicitæ sunt. Tertio, quæ causæ exerceant ab scandalo dato.

PUNCTVM I.

Quid sit scandalum, & aduersus quam virtutem procedat!

1. Duplex est scandalum, actiuum, & passiuum. Et vtrumque definitur.
2. Triplici rei ruina proximi intendi potest.
3. Nunquam est scandalum, nisi ruina spiritualis proximi succedat, vel timetur probabiliter successura. Excipit, nisi directè, vel proximum cadere.
4. Aliqua notabilia inferuntur.
5. Preponitur quadam obiectio, & sic illi satis.
6. Scandalum passiuum non aduersatur specialis virtutis, sed per omnia vitia vagatur.
7. Scandalum actiuum, si directè voluitur sic hoc est ex affectu, vt proximus ruat, specialis est peccatum.